

in dñm tuū ex toto corde tuo.
et iā tua: rex om̄ib; iurib; tuis
et tua: et proximū tuum
Dicit q̄ illi. Recte respōdis
fac iuuēs. Ille aut̄ uolēs iusti
fieri: dix̄ ad ih̄m. Et quis est
iustus? Suspiciens aut̄ ih̄c
Sermo quidam descendebat ab
ihericho: et incidit in latro
nes. Qui etiam despoliauer̄t eum: et
impositis abierunt semiuuio
Quidam aut̄ ut sacerdos quidā
eandē uia: et uiso illo p̄teri
sumit̄ et leuita cum eēt secus
eum. p̄transiit. Sama
anus aut̄ quidā mer faciens uenit
eum uidens eum m̄ia motus ē.

Ma 397

St. Graec. in Oct. N. 103.

II 2a 168

ANAGRAMMATA
PRINCIPIS
MEGAPOLITANI,
REGIS DANIAE, ET
DUCUM QUORUNDAM,
DOCTORUM, MAGISTRORUM-
QUE ACADEMIÆ ROSARVM
DESCRIPTIONEM CON-
TINENTIA.

Auctore
Johanne Melino Niggenjesekense
V Vestp.



ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri. 96.

ILLVSTRISSIMO DN. ac
DN. UDALRICO PRINCIPI
MEGAPOLITANO, SERE-
NISSIMO REGI DANIAE, ejusq; Ger-
mano UDALRICO, DUCI LI-
VONIAE UUILIELMO, HENRI-
CO RANZOVIO Vicario Regio,
CONSILIARIIS, DOCTORIBVS
ac MAGISTRIS Inclytæ A-
cademiae Rostochianæ sin-
gulis et omnibus gratiam
Christi exo-
ptat,

Non sum nescius, quin multi aut propriâ ma-
litiâ extimulati, aut invidorum hominum
sermonibus allecti in me arrogantiae sagittas
sint sparsuri, qui novus novam tractandarum re-
rum materiam excogitârim, excogitatam typis
commendârim, commendatam Illustrissimi U-
DALRICI Principis Megapolitani, Regis &
Ducum, Doctorum Magistrorumq; in inclyta
Rosarum urbe vitam non sine matrimonii vincu-
lo degentium, tutelæ subjecerim. Verum in-
dustria & actiones, quibus perniciosa ignaviae vi-
tia propulsamus, non in aliorum factis causâ non-
dum cognitâ reprehendendis, hoc enim est vitio
vitium admiscere, sed virtutis inquisitione con-
sistunt. Cujus desiderio flagrantes causam & fi-
nem

nem rerum propositarum, priusquam in quem-
piam invidioso & cæco maledicentiæ spiritu pro-
rumpant, inquirunt, quo exquisito sapienter de
rei effectu iudicium pronunciant. Iudices igitur
æqui æquo animo instituti mei rationem perci-
pian, perceptam, si veritas, ut non ambigo, pati-
tur, approbent, contrariamq; inique sententiarum
sententiam improbent. Minime obscurum est ar-
tes inter cætera dona usu crescentia mortalibus
divino munere concessas, non ut ad jocum aut
lusum nati videamur, sed legitimo earum usu
benignitas Dei erga genus humanum innotescat,
Ecclesiæ ac Reip. status florescat, vitia, quorum
proh dolor apud omnes frequens usus, labascant.
Sit sua propria singulis artibus ac facultatibus u-
tilitas: Theologiæ hominis salutem promoventi-
viamq; æternæ vitæ designanti auctoritas; Iuris-
prudentiæ suum cuiq; ex æquo tribuenti vigor;
Physicæ naturalium rerum indagatrici scientiæ;
Astronomiæ tempora anni & dierum discrimina
describenti observatio. Nulla enim domus,
nulla Reipub. constitutio, nullum deniq; vitæ
genus his vacare potest. Ut aër, ignis, aqua ad
vitam alendam corporisq; sanitatem crescendam
requiruntur: sic illa ad animæ salutem conser-
vandam, & corpoream libertatem defendendam
conducunt. Quis nisi perfecto mentis sensu de-
stitutus, poësin è mente divina delibatam, rerum
divinarum ac humanarum propagatricem, vir-
tutum

tutum altricem, vitiorum expultricem ex donorum
coelestium & utilitatis agro exterminabit? Nihil
hic de Theologia dicam, quam Deus immedia-
te primum promulgavit, promulgatam per mi-
nistros disseminavit, disseminatam ab haereticorum
sordibus, licet eam multi conspurcare ten-
tarint, incorruptam custodivit, custoditam poste-
ritati amplectendam reliquit. Nihil de jurispru-
dentia, cuius legitimus usus divinus ac utilis æ-
stimatur. Nihil de cæteris, testimonia mecum
divina & humana loquantur. De poesi tantum,
quam ludibrio & insanæ hominum turbæ con-
temptui expositam, secula, in quibus hederæ
sine honore ac præmijs jacent, argumento sunt.
Auctorem artium & scientiarum Deum consti-
tuant, aut ab eodem bona promanare pernegent
necessum est. Hoc quum sit abominandæ impi-
etatis, illud immota pietatis vis approbabit. Quæ
igitur obscura audaciæ caligo animos obscubilat,
ut dona hominum usui quasi cœlesti munere da-
ta minimeque aspernanda convitijs proscindant,
foribus ejiciant, incautis juvenum mentibus The-
onina rabie expellant? Nulla ratione coacti, ini-
quo judicandi impetu, rerum præsentium odio,
quibus osores vigorem invident, bona per se ho-
nesta negligentes vituperant, mala eligentes lau-
dibus efferunt. O flammas insanæ æstuantes,
quas nullis Ennosigæus aquis exstingueret, ex-
tinctasq; suffocaret, nisi veritas earundem æstum
A 3 fedaret

sedaret, mitioremq; efficeret. Prodeant testimonia Sacrarum literarum invicta veritatis domicilium invicto sententiarum fulcimento corroborantia. Quis impiam Davidis vocem, (Te decet hymnus Deus in Syon) pronunciabit? Insanus. Quis ejusdem, (Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium jucundum cum cythara) improbabit? Insanus. Quis hæc (In psalmis jubilemus ei, carmen Deo nostro,) non loqui de sermone certâ syllabarum dimensione limitato affirmabit? Insanus. Quis rythmos in Ecclesia usitatos metris includi negabit? Idem insanus. Etenim quod antiquissimi Hebræorum & Græcorum canticum, psalmos & hymnos appellabant, nos carminum titulo exornamus. Arceant igitur ab augustis Ecclesiæ penetralibus carmina, & insperatam quoque poesi ignominia notam inurent. Verum ut illud exitiosa impietatis: sic hoc inhumanæ impudentiæ & stultitiæ specimen refert. Neque ad certum Deum agnoscendi ejusque laudes extendendi idioma Ecclesiæ membra alligata sunt, sed unicuique peculiare species (modo solidissimæ rupi salutis superstructa mens doctrinam Christi undiquaque incorruptam custodiat, nec se fallaci voluptatis hamo, aut serpentino errorum veneno à fundamento avelli patiatur) pro diverso diversarum regionum usu conceduntur, quod communi orthodoxæ Ecclesiæ calcu-

calculo comprobatum. Surgite, surgite vos
Musarum irrisores, exacuite zoileos dentes,
Ecclesiam adjunctis bonis tollite, bonitatem
Dei vestra malitia everrite, preciosam impij
conatus mercedem reportabitis, inferni rabiem
vulturis æterno cruciatu sustinebitis. Talia &
tam horrenda rerum licitarum corruptores,
antiquæ fidei everfores præmia manent. Non
tamen divinam nulla vi, nullo dolo, nulla tem-
poris senectute labefactandam Musarum se-
dem intactam relinquunt, leves mentes levi stu-
dio oblectari, poësinque Christiano indignam
clamitant. Cognoscite quæso, iudices æqui,
quam odiosa, quam impudica, quam præfra-
cta illorum sit pertinacia in oppugnanda veri-
tate, & abominando errore defendendo. Bonum
Deo auctori assignant, bonitate tamen eius frui
retractant. Mosen carmina in numerum rede-
gisse, illaq; filios & filias ediscere præcepisse ve-
rustas testatur. Davidem naturalis & moralis phi-
losophiæ studiosissimum fuisse, & poetico di-
vinoq; spiritu incaluisse Hieronymi verba evin-
cunt. Jeremiam numeris Threnos confecisse,
quo poematis genere primus apud Græcos Simo-
nides usus sit, historiæ contendunt. Iobi calami-
tates versu heroico incedere Hieronymi iudicium
legenti judicare est obvium. Taceo Ambrosium
Mediolanensem Archiepiscopum, qui pulcherri-
mos hymnos ac odas posteritati perlustrandas re-
liquit. Ta-

Taceo cæteros Ecclesiæ Doctores Evangelicæ
Legis majestatem versibus heroicis includentes.
Quid de Platone? Marco Manlio? Macro? Sere-
no? Aufonio & aliis? Quorum pars philosophi,
Medici, & poætæ elegantissimi exiterunt. Tan-
tæ pietatis, tantæq; eruditionis viros levibus &
inanibus rebus addictos fuisse prædicare persisti-
tis? poësin humano genere indignam contendi-
tis? Nulla cum utilitate conjunctam sentitis?
ex urbibus funditus eruendam affirmatis? O mo-
res corruptissimi, ô accensa stygio furore invi-
dia, in qua sanctissimus Musarum amor non
modo languescit, sed concidit, ac penitus ma-
lediciæ ac odij procellis exagitatus eradica-
tur, virtutum ornamenta, fidei Christianæ ful-
cra insanâ verustate confecta penè collabuntur.
Contemplare omnes nationes & provincias: con-
sidera hominum mores, qui adhuc sanguinem
virtutis amore calentem venis inclusum circum-
gestas, & accuratè perpende, invenies pectora
languore marcescentia, interitumq; honestis ar-
tibus minitantiâ. Florent quidem in hac perversa
mundi senectâ viri pietate præclari, virtute
superbi, eruditione præstantes, sed quotus quis-
que est, qui eos favoris ulnis, & honoris meri-
to amplectatur, aut eosdem ætate oppressos,
morbo depressos, invidiâ compressos, conces-
sam vitæ metam decurrere videmus. Quum au-
tem Deus rerum honestarum largitor sit, & inde
fructum

fructum nostræ exigat industriæ, eas ludi & invidorum fluctibus exagitari, sed non opprimi patitur. Exspuant igitur spumarum maledicentiæ colorem in sanctam artem, ac arena confectionis necessitate poësin, dum malis usibus inferviat, malam & inconcessam efficiant. Hinc vel fustibus illorum nequitia non sine inscitia, emendanda emergit. Imponamus visu penetrabile ferrum veritatis incudi, malleo contusum in minutissimas commutabitur partes. Malitia rebus à Deo conditis & ad bonum vitæ finem concessis, veluti lingua, frumento, terra, ligno, ferro, stellis malè utitur: nemo tamen hæc, nisi mentis lumine privatus, per se mala & vitiosa esse pronuntiabit. Detur poësin vanitatis & vitiorum fuisse ministram, sed ita, ut abutentium vitio, natura à vitijs abhorrens eiusque usus non tollatur. Neq; res bonæ sunt destruendæ, quod ad malum non proprio, sed vitio extrinsecus accedente trahantur. Quinetiam impietati proximum videretur, si effecta à Deo omnis maculæ experte & bonorum efficiente existentia materiam mali subministrarent. Verum corrupta & ad vitium proclivis mens ex melle venenum fugit, ex veritate mendacium elicit, ex puro fonte impuram aquam haurit, & quia per naturam bonis abutitur, eorum abusu, ad peccata deducitur. Non inconsideratè huc illud torquetur: Quo quid est nobilius, eò ignobiliores & stupidiores habet

A 5

perfe-

persecutores. Poësin primum ab Ethnicis inventam, ad eius auctoritatem imminuendam & amorem non sine invidiæ flammis destruendum, crebris sermonibus usurpant. Apparent hîc zizania, quæ colligenda & in fasciculos ad comburendum colliganda sunt, triticum verò in horreum virtutis congregandum. Non sem mali auctoris industriâ acquisitam seu inventam, sed sua propria naturâ malam respicere decet, quia efficiens effecti essentiam minimè ingreditur. Negate, Ethnicos, vera Dei notitia, Evangelij nitore illustratos fuisse, idem Negamus. Negate, illis dona cœlestia, quibus ad posteritatem utilitas redundaret defuisse: diversum statuimus. Ergone literas latinas, quarum inventrix creditur Carmenta, explodendas? Ergone Græcas Cædum sibi auctorem vendicantes auferendas? Ergone ferram perpendiculum, terebellum, quorum Dædalus inventor, non adhibenda? Ergone currum, quem Erichthonius excogitavit, in partes dissectandum? Ergone Medicinam Æsculapio auctore superbientem damnandam? Ergone Cererem frugum inventricem proscribendam censebitis? Compescite labella, quicumq; ad prænumeratorum usum confugitis, omnes autem eorum necessitate impellimur. Quæ cum ita sint: respondeant velim, qua fronte effutire audeant, iudicium de poësi ab ejusdem inventoribus desumendum

mendum esse? Nihil præterea inveteratis, di-
centium falsa & deridenda continere poesin,
erroribus commovemur, quum idem in Sacro-
sanctum literarum sacrarum textum detorqueri
possit. Nudas voces consideranti, verba Prophe-
tarum & Apostolorum insulsa & falsa videntur,
ut in dictis: Vineam de Ægypto transtulisti, ejeti-
sti gentes, & eam plantasti; Extendit palmites
suos usq; ad mare; Exterminat eam aper de syl-
va, & ferus depastus est eam; in Evangelio de pa-
trifamilias, de vineæ operarijs, de filio prodigo.
Hæc & consimilia fabulis similima apparent, si
iniq; sortiantur explicationem, nec ex vocabulo-
rum tenebris eruantur. Accedat lumen tropo-
rum, & veritatis splendor sole clarior elucebit.
Idem de poëtarū similitudinibus, quas vulgò fi-
gmenta nominant, iudicium proferendū autumo,
quæ adhibita explicatione rem veritati congru-
am exprimunt. Quo enim sine Lycaon dicitur
mutatus in lupum, quod hic nisi illius rapacitatē
& immoderatum latrocinium abumbret. Qua de
causa etiam Venerem ex virilibus coeli patri am-
putatis, quæ in mari projecta, et fluctibus circum-
acta spumã ejecerunt, natam esse effinxere, quod
ex humecta natura naturalis coeundi cupiditas
consurgat. Appellatione Vulcani ignem, Mar-
tis stellam aut bellum, Cereris terram & panem,
Neptuni mare, Minervæ ingenium exprimere ga-
visi sunt. Communi & rudi sermone Dei laudes,
boni

bonorum virtutes, extendere conceditur. Cur ergo & non Lingua verborum lumine illustrata? utrumq; & Deum & virtutem præfigurat. Si quando temporum & personarum iniquâ impietate contingat, ut inhonesta & modestas aures offendentia apud poetas dicta reperiantur, ad imitationem & prudentiam apud ratione carentium iudicio. mentis pollentes mella ex veneno elicimus, succumq; pietati adversantem, ut venenosum serpentem, non dicam imbibere, sed ne quidem extremis labris attingere pietas & honestatis ratio suadet. Neq; quisquam ita à laude alienus, omnes enim ejus amore incendimur, quâ suæ virtutis præconem non exoptet? Gloria Dei tenebris submersa, Regum & Ducum virtus oblivione sepulta, doctorum doctrina incognita in obscuro delituisse: nisi fax Musarum easdem exitio extractas ardescere & splendescere fecisset. Quod si non tantus ex poesi fructus emergeret, & sola delectatio, viriumq; labore defatigatarum recreatio promanaret, nunq; se tot viri sapientes, & virtutum luce rutilantes ad ejus studium contulissent, nunquam tot Regum, Principum & doctorum coronæ præmiis laborum, ornamentis virtutum eam condecorassent. Charum sibi Colophoni Homerum, charum Chij, charum Salaminij, charum Smyrnæi, charum Alexander fuisse, testatus est. Charus Africano Ennius, charus Augusto Virgilius. Chari alii aliis mundi luminibus

minibus habebantur. Præsentibus præsentis ævi
poetis emerita laus ab imperatoribus & laudis
calore fervescentibus contribuitur.

Virtutem ut vidcas intabescasq; relicta,

I nunc & sanctam verbis illude poësin,

Laude carens rerum languescit amore bonarum.

Quare apud omnes sancta & immaculata Musa-
rum delubra floreat, nec quisquam ab earum
honore & salute abhorreat. Nulla enim virtutis
actio aliud præmium præter hoc laudis deside-
rat. Me vix Aönij laticis dulcedinem degustan-
tem idem amor, quamvis dispari eventu, impulit,
ut in laudes virtutum laxatis quasi velis descen-
derem. Si quid imprudenter, aut parum excide-
rit expositum, virtutis erit, ingenij & fortunæ
adversis fluctibus imputare. Nec hic Sycophan-
tas, quos jure vocavero Zoilos, moror, qui soli
sapere sibi imaginantur, & nisi propria laudant,
suiq; consimilibus commendant, aliena rerum
imaginariâ scientia obcæcati, superbiæ spiritu
tumefacti, inanis gloriolæ laude inflammati re-
jiciunt, rejecta vituperant, vituperata rude & ma-
lus judicandi magister vulgus vitij valore expo-
nit, invidiæq; furore adiunctâ inscitia arrodit.
Vos igitur, vos appello, **UDALRICE** princeps
Illustrissime, REGIS, DUCUM progenies au-
gusta, augusta vestra majestate, **NOBILES**
prudentissimi vestra virtute, **DOCTORES**
consultissimi vestra auctoritate, **MAGISTRI**
doctissi-

doctissimi vestra doctrina Zoileos morsus, & in-
consideratè de Musis judicium proferentes inhi-
bere, reprimite, penitus evacuate. Imperij fines
felicibus ausis extendite, virtutis actiones disper-
gite, Ecclesiam Dei & Reipub. statum doctrinae
radijs illustrate, pietatis amatores defendite, Mu-
sarum paupertati clementer succurrite. Deus
tranquillitatem temporis, vigorem regno Mega-
politano, vires Regum & Ducum habenis, con-
stantiam Fidei & doctrinae mentibus artium &
virtutis desiderio flagrantibus concedat, meque
favori bonorum subjiciat, subjectum divino fa-
vore protegat, protectum brachiis suae gratiae
& misericordiae in coelestes coelestis patriae hor-
tos deducat.

V. Majestati & auctoritati
subjectus

Johannes Melinus

IN ANAGRAMMATA

Johannis Melini.

Ardor poetis est quibusdam flammis
Torrentis in morem ruentibus; levi
Labore nata sub manu qui scriptitant
Vene fluentis concitata carmina:
Morosa Lima malleiq; pertinax
Censura sub incude mentis anxiae

Quos

Quosdam retardat. Sunt, iter quos semita
Mediæ coerces, nec nimis levi manu,
Laboriosâ nec nimis. Ni quid vetet,
Sic ipse sim. T U T I S S I M A E S T M E D I O V I A.
M E L I N E, verum audire si quid te juvat,
Primos es inter, hoc genus quoq; vendicat,
Quod haud iniquo ferre possis calculo.
Utaris auræ calitus flantis tibi
Vento. Nec improbo recentis editum
ANAGRAMMATISMI specimen. at perimproba est
Plerunq; curæ, unius haud dieculæ
BONUM ANAGRAMMA cudere. Hic mereberis
Centum virorum, quos celebras, gratiam.
Tu perge, inisti quam, sequi amplius viam.

M. Martinus Braschius Professor
Logices, & Poeta coronatus.

C armina si genium & rosos victura requirunt
Ungues; hæc poscit I A N E, anagramma bonum.
Tot tua mi referunt genios Anagrammata, quot tu
Exculto laudas carmine, I A N E, viros.
Vive igitur, serò tandem victure, cothurnos,
aut epos, aut soccos cum tua Musa dabit.

Idem in Momum.

Mome tibi genetrix cum Nox, Somnusq; pater sit:
Carpere cordatos desine, Mome, viros.

M. Johannes Simonius
Professor Rhetorices.

Ardua nubifera, caeloq; minantia, turris
Extruxisse ferunt vastos Babylone Gigantes,
Corporis indomiti confisos robore dextrae.
Impulit huc illos dominatrix gloria mundi,
Et saeculi laudum illa immensa cupido futuri.
Parvâ in cellâ alius sublimia carmina condit,
Dotibus ingenij confisus Apolline dextro:
Ne nomen corpusq; uno, tumulata sepulcro
Aeternis tenebris cippus levis obruat idem.
Quos vicisse, MELINE, putas? Cinesacta ruinis
Roboris indomiti illa jacent monumenta Gyantum,
Singula deq; illis soles praedantur euntes.
Sed tunc sublimis divina poemata vatum,
Exitio terras cum lux dabit una, peribunt.
Illorumq; decus, nigrâ quos morte perire
Incluta Musa vetat, stygias non fertur ad umbras
Sed rapidis Parcis, & fato, ac tempore majus
Gliscit in immensum, inq; dies capit incrementum.
Certè hæc mansuris æternum ANAGRAMMATA chartis,
Atq; virum has laudes, quos è meliore Prometheus
Effinxit limo, proceres patriæ, atq; parentes
Magnanimos, doctosq; viros, quorum illa recumbunt
Edita doctrinâ Sapientum excelsa Lycaea
Sustentata humeris validis subnixa columnis,
Non mors, non fatum, non ulla aboleverit ætas.

M. Eilhardus Lubinus.

CNY

Cur laudem malus invidet
Virtuti? invidiae patrem
Serpentem sequitur, suum
Qui Iovæ decus improbat.
Sed qui propitio Iove
Ad cœlos referunt caput,
Illi patris imaginem
Puris mentibus exhibent;
Iovam principium boni
Laudantes, bona quælibet
Gratis mentibus expetunt,
Usurpant, celebrant. Ita
Auctori sua laus redit.
Ergo IANÈ probè facis
Insignes meritis notans.
Nec laudem sine laudibus
Istorum celebras tuis.
Ploret qui malus invidet,
Tu salve bonus & vale.

Christophorus Brockhagius.

Tu quoq; noster amor MELINE Heliconis alumne,
Ardalidum promissis munera grata chori.
Musa favet cæptis: opus est præclarior illo,
Vatis Smyrneni quo nuce clausa chelis,

B

Haud

Haud secus ut statuam fertur fabricasse Silemus,
Quæ specie textit cryptica multa rudi:
Sic tua disparibus contexta Anagrammata metris
Ingenij produnt pinguia dona tui.
Sponte suâ surgit tibi blanda Elegia Nasonis,
Perfaciliq; tibi Musa labore venit.
Ergo perge alacris, laules tibi concinet orbis,
Perge Aganyppeæ gloria gentis eris.
Ardua Pyndarias dum trans nubila pennis,
Carmine fac vigeat VVestphala terra tuo.

Thomas Lindemannus.

JOANNES MELINVS

Anagramma.

O si anni; lumen es.

Optatum unde tibi MELINE repullulat omen?
Hoc tibi fertilitas contribuit genij.
Scribendi te cura vigil, te provocat ardor,
Hinc tuus eximiâ laude renidet honos.
Pro meritis meritis sit honor: tu gloria Phœbi es,
Divite qui varium venâ Anagramma colis.
Iure mihi Chavatum scias altum operatus amore,
Diceris Aonidam gloria jure mihi.
Quod si fata tibi fuerint Parcaq; benignæ,
LVMEN ES, ac vero nomine LVMEN eris.

Christophorus Novesius.

Noster

JOANNES MELINVS VVestphalus.

Anagramma.

Mel nisu non alas thus? Spe vive.

Noster amor redolens NISV MEL melle. & sugis
Mella: favent melli mundus & astra tuo.
Carmine ALAS NON THVS? quin solvito thuris hono-
Mella hominum causâ, non sibi sugit apis. (res:
THVS ALIS? immò sacrum. mellito Anagrammate
Atq; virum laudes non sine laude canis. (Christi
Dulcia mella velut dulcedine guttura tangunt,
Sic eris ipsorum dulcis in ore sonus.
Laudibus extollent te hinc qui versantur in hortis
Aonidum: laudes facta probanda merent.
Rebus in adversis SPE VIVAS, atq; secundis,
Sic mala SPE vinces, & bona fata seres.
Christe diu vitam crescenti suggere viti,
Ingenij fructus reddat ut ipsa suos.
Simon Vincius Heidanus VVestp.

JOANNES MELINVS

Anagramma.

Non I, me sinu ales.

Mutua miscebant vocum discrimina Musæ
Amore MELINI calentes servido:
Perfer & obdura, mea spes, mea cura, meum mel,
NON I, MELINE, ME SINV sperando ALES.

B 2

Parva

*Parva datur meritis presenti gratia saeclo,
NON I, MELINE, ME SINV sperando ALES.
Invidet ingenio Momus, fremat orbis & orcus,
NON I, MELINE, ME SINV vincendo ALES.
Spe meliora feres: pietas invicta triumphat,
NON I, MELINE, non amoris mel fuge.
Mellea mellitus gustabis mella Melinus,
Amas Deum, colis Musas, vinces mala.*

S. M. E.

I.

ULRICUS DUX MEGAPOLI-
TANVS, CVLTOR NOMINIS, ET
VETERIS FIDEI AMANS.

Anagramma

Lux & decus eris politiarum,
non nugas amas, fidem co-
lis in virtute.

Cernimus indomitis collabi viribus orbem,
Cernimus iratum rebus adesse Deum.
Religio, pietas, Fidei constantia, Legum
Gloria fatali sub cruce pressa jacet.
Regna Ducum veteri spoliata vigore labascunt,
Crimine terra madet, sanguine terra rubet.
Sol radios, segetes tellus, ac æquora pisces,
Mæsta suos fructus arbor & herba negant.
Est scelus in Superos causas torquere malorum,
Nos sumus admissõ crimine causa mali.
In scelus illicitum vitijs accensa feruntur
Viscera, pœnarum non remorante metu.
Hinc dolus, hinc Veneris rabies, hinc atra voluptas,
Hinc venit impietas, jurgia, bella, fames.
Tarda Ducum Satane facit indulgentia natos,
Flagitij crescit Rege tacente furor.

B 3

Non est

Non est flagitijs animos involvere tutum,
Persequitur poenis crimina fæda Deus.
Sæpe Magistratum populi pro crimine punit,
Sæpius insontes noxia causa premit.
Non minus est vitium, quam crimen habere, tueri,
Qui tacet alterius crimina, crimen amat.
Urbibus & populis indicat jura Senatus,
Protegat insontes, comprimat ense reos.
Hujus segnities animos in crimina ducit,
Et vitium vires jure silente trahit.
Non habet impietas scelerisq; licentia portum,
Ferre diu nescit pessima facta Deus.
Obstandum vitijs domini dum poena quiescit,
Poena datur serò, quum furit ira Dei.
Indulgere malis, est iræ accendere flammam
Numinis, & poenas conciliare sibi.
Principis est vetitos scelerum compescere fluctus,
Et dare pro meritis præmia cuiq; suis.
Principis est tenerum Christi defendere cætum,
Ac animum fidei constabilire iugo.
Principis est fraudes depellere, jura tueri,
Iure vigente vigent mœnia, templa, scholæ.
LVX Meglaburgiacis rutilans VLRICVS in oris,
Officium justitiae novit id esse Ducis.
Hunc quò sceptrum trahunt, hunc quò vocat inclyta virtus,
Huic virtutis honos, huic pietatis adest.
Non hominum nugis, Christi stimulatur amore:
Omnia dives habet, qui scit amare Deum.

Quid

Quid Ducis imperium dempiâ pietate? ruina.
Rex pietate carens prosperitate caret.
Corda gerunt alij rebus submersa caducis:
Impietas frangit sceptrâ superba Ducum.
LVX patriæ, regni DECVS admirabile PRINCEPS,
Quod Deus & pietas postulat, illud agi.
Iuris & artis honor sequitur pietatis amorem,
Fontibus expuris flumina pura fluunt.
Asire cupidus populos moderatur & urbes,
Protegit insontes, deserit ore reos.
Ore fremit rabido disruptis ursus habenis:
Ianua flagitij iure silente patet.
Dedita flagitijs pœnarum corda coercet,
Iustitiæ cohibet turpia facta metu.
Osor barbariæ, virtutis imagine ductus
Artis amatores artis amator amat.
Condecorat Sophiæ Regali munere sedes,
Quas fovet urbs veteri Rostochiana sinu.
Prælia devitans pacis sedatur honorem:
Impia subsidio Numinis arma carent.
Pacis amor Deus est: pax ornat candida Reges,
Impia successu bella carere solent.
Ferreus intereat ferri qui protulit usum,
Qui fera pacificas trahit in arma manus.
Bello pulsa fides, pietas subit æthera bello,
Bello divitijs urbs spoliata meret.
Bello furta, dolus, discordia surgit & ira,
Bello Sicolidum friget honestus amor.

Principe quid melius Superi prudente dederunt?
Imperij fasces qui sine Marte gerit.
Impius exardet gladijs & sanguine princeps,
Armaq; bellorum non ratione movet.
Tutius est animum pacis circumdare amictu,
Quam vetito Martis castra furore sequi.
Pace Dei bonitas, Regum concordia pace
Floret, & Astræe pace resultat honos.
Pace solum valido diffundit arator aratro,
Intrepidus sulcat navita pace fretum.
Pax decorat fructu terram, thalamiq; calores
Suscitat, Aönidum pace virescit humus.
Hac decorata viget virtute Megapolis ora:
Sæpe Ducis pietas regna vigere facit.
Principis ingenium precibus venerabere fufis,
Urbs, regio, populi, structa Lyceæ, fides.
O DECUS imperij, LVX UDALRICE tuorum,
Promeritum meriti nominis omen habes.
Stella comas veluti spargit crinita micantes,
Et tenebras ortu candidiore fugat:
Haud secus irradias regni virtute columnas,
Cana fides canum ducet in arva poli.
Iuris opes, fidei donum, pietatis amorem
Mentibus infudit cœlica cura tuis.
LVX eris imperij, sceptro DECUS orbis & urbis,
NON NVGAS, radios DVX pietatis, AMAS.
Styx fremat, & mundus, lethi furor evomat ignes,
Fidentem Dominus deseruisse nequit.

In virtu-

IN VIRTUTE COLIS *coelestia verba professus,*
IN VIRTUTE COLIS *non pereunte FIDEM.*
Quàm bene conveniunt, & regni robora firmans,
Ius, pietas, virtus, intemerata fides!
His sine regna ruunt, populi mutantur & urbes,
Quod virtute caret, non solet esse diu.
LVX *radios fidei centum disperge per annos,*
Imperij vigeas non moriturus honor.
Obsitus annorum serie LVX clara coruscas,
Principe te Lucem vesper & ortus amant.
Te Duce regna virent, virtus te Rege triumphat:
Amissa pietas principe saepe gemit.
Te Superum comitetur amor, te Numina servent,
Protectore Deo vita salusq; viget.

II.

CHRISTIANUS REX DANIAE
QUARTVS SPE VERA.

Anagramma

Christus in re sanâ vitæ Dux;
quare spera.

Cernimus ut solito spoliatur lumine Titan,
Cernimus ut terras comprimat atra lues.
Cernimus ut Zephirus reboet pelagiq; furores,
Cernimus ut rigido Marte tremiscat humus.

In fraudes abiit pietas : res plena pericli
Vivere, non vitæ est vita, doloris onus.
Nunc animus curis, morbo nunc membra premuntur,
Et varias adfert quælibet hora vices.
Ut canis insequitur ceruum : sic tempora mordet
Mesta catenatis vis onerosa malis.
Inclute REX Danum, pietatis vivida virtus,
Excruciet nullus credula corda pavor.
Non metuas Zephiros, tumidi non æquoris æstum,
Non fraudes, stygij non tria rostra canis.
Christiades Christi preciosâ morte redemptos
Eligit, electos protegit, auget, amat.
Mens pia semper habet, quo prælia misceat, hostem,
Omnibus insidijs prævalet aura Dei.
IN RE CHRISTVS erit SANA DVX: omina VITÆ
Noxia DVX VITÆ CHRISTVS amore fugat.
Gressibus in licitis pia Christus viscera cingit,
Tutus abit, Christo qui duce carpit iter.
RES est SANA Deum rebus præferre caducis,
RES est SANA Dei verba sequenda sequi.
RES est SANA dolos depellere, jura tueri,
RES SANA est tepidos pace fovere Lares.
Styx fremat, & mundus, Boreas tonet, unda tumescat,
Firma Dei bonitas nescit abesse pijs.
CHRISTVS erit VITÆ DVX indefessus in orbe,
CHRISTVS erit placido remus & aura mari.
Sperandum dubijs currant si vela procellis,
Aspera spe citius cedere fata solent.

Exsere

Elicit invidiam vitij concessa potestas,
 Que tamen invidiam mens, probitate caret.
 Furta dolosq; parans vitium certamina miscet,
 Insidijsq; ferox tentat adire Duces.
 Non Elephas muscam, nec apros animosa Leena,
 Non ululas aquilæ, non timet anser aquas;
 Nec vulgi rabie Regum mutata labascunt
 Pectora, flagitij fulmina jure fugant.
 Ius conservat agros, populos defendit & urbes,
 Pacis honos, regni gloria jure viget.
 Cura Dei Regum præcordia viribus auget,
 Vincitur, in superos qui fera bella furit.
 Cresce Deo, crescas animo crescentibus annis
 VDALRICE Ducum stella, columna Dei.
 Te Deus elegit populis ut jure præesses:
 Magnanimo populus Rege regendus erit.
 Arguit Heroem virtus: regniq; coronam
 Te fore, sceptrorum præscia cantat avis.
 I tua quò pietas, quò te trahit ardua virtus,
 SIDVS es AC GERMEN prosperitate Ducum.
 Quim latè radios radiantia sidera spargunt,
 Huc tua te virum gloria laude vehat.
 Expers stella micat macule, tenebrasq; pererrat:
 DVRABVNT regni sceptrà futura tui.
 Arbor ut exorto producit germina Majo:
 Sic fidei juncto GERMEN honore feres.
 SIDVS eris REGNI, populis peramabile GERMEN,
 GERMEN cresce ferax, SIDVS in orbe mica.

Non

Non vigor imperij, laudis non splendor honestæ
Amittet vires læsus ab hoste suas.

I, DVRAS AVLÆ REGIMEN, SIDUSq; resulges:
Ingenuos Superùm protegit aula Duces.

IV.

PRINCEPS UULIELMVS IN LI-
VONIA, ET CVRLANDIÆ ET SEMIGALLIÆ
DVX.

Anagramma.

Lux spei, splendor vitæ, lac Mu-
sæ, illumina regna diu, I vince
licitè.

Sunt quos condecorat virtus generosa parentum,
Sunt qui victurâ nobilitate nitent.

Sunt qui sanguineo meruerunt Marte coronam,
Ac populi plausu parta trophæa canunt.

Sunt quibus imperij fasces traduntur, ut urbes
Subjectosq; sibi relligione regant.

Esse bonis ortum, tituloq; nitescere stirpis,
Peruia virtutis signa percunnis habet.

Major ut est virtus moderari legibus urbes.
Sic meriti majus pullulat inde decus.

Imperio populos res est onerosa tueri,
Curaq; regnandi sedula corpus edit.

Latius

Latius in terras Regum quò gloria serpit,
Hoc magè curarum germine sparsa viret.
Astra polumq; Deus cœl' sti Numine torquet,
Omnia regali servat aliq; manu.
Regibus in terras dedit ac animalia vires:
Ne pietas jaceat spreta sorore Fide.
Crescat in immensum sceleris ne fœda cupido,
Humano mundus Rege regendus erat.
Enutrire bonos virtutis Lacte, malignos
Pœnarum Reges felle fugare decet.
Libera difficile est extenlere jura regendi,
Qui non virtuti pectora serva dedit.
Ius, pietas, fidei fervor, sors prospera rerum,
Ex virtutis agro tracta virere solent.
Hujus opes animo GVILIELMVS adorat honesto
Gloria Livonũm, stella corusca Dei.
Sol velut accenso terras illustrat Olympo,
Omnia solari ceu bonitate vigent:
Haud aliter pietas Ducis indefessa refulget,
Fascibus imperij relligione præcst.
Huc geminas attolle acies, hoc aspice fatum,
Quod trahit ex titulo provida Musa Ducis,
LVX præclara SPEI, VITÆ SPLENDORE coruscans,
LAC tenerum MVSÆ sugis, & artis opes.
SPES animi recreat curas, animoq; timorem
SPES fugat, audentes SPES animosa facit.
Exsuperat tumidas Satane mundi; procellas
Freta Deo victrix SPES, neq; victa jacet.

solis

Solis ad exemplum, mundi qui sceptrā gubernant,
Externā vitæ labe carere decet.
Vulgus incers Regum mores imitatur agrestes,
Regis ad exemplum facta nefanda patrat.
Tu SPLENDOR VITÆ morum decoratus amictu
Præfulges populis stella sequenda iuis.
Non nisi iusta facit pectus virtute politum,
Ingenuas virtus concitat artis opes.
Discendi cupidum iuuit vidisse Lycea,
Quæ suffulta viris Teutonis ora fovet.
Elicuit v gili Musarum Numine succum
Mens Ducis, ac MVSÆ LAC studiosa bibit.
Ingenij radios, virtutis LUMINA sparge,
Arte virūq; DIV subdita REGNA regas.
VINCE malos LICITE, tibi cœlica suggeret aure
Robur, & adversos neu fuge, victor eris.
Spes, pietas, virtus, ars, causa probanda triumphant,
Cura Dei Ducibus non violanda favet.

V.

HENRICVS RANZOVIVS VICA-
RIVS REGIVS, FIDE MAGNVS, ET CLA-
RVS VIRTUTE.

Anagramma

Zona Regis, virtus Regni, ars
usu, herus ut vir vincet mala fi-
dei succu.

Vt rosa,

Vt rosa, quam Boreæ rabies languescere fecit,
 Arbor ut hiberno frigore tacta meret:
 Haud aliter varijs agitantur cladibus urbes,
 Regis ubi scelerum serpit in ossa furor.
 Nulla quies regnis, pietas non ulla subacto
 Adjacet, imperij flore rigente, gregi.
 Gignit, alit, renovat, ducit, confirmat & auget,
 Impietas tristes impietatis opes.
 At matura Ducis pietas, perspecta Senatûs
 Gloria flagitij vim cohibere potest.
 Sicut honor surgit Zephris spirantibus agris
 Libera disrupto ceu fluit unda gelu;
 Ceu rosa, ceu violæ revirescunt tempore veris,
 Ceu segetes tellus vomere scissa refert:
 Non secus imperij vigor instauratur & urbis,
 Quum vitio fasces imposuere modum.
 Fracta cadit Regum concessio crimine virtus,
 Regni prosperitas crimine fracta cadit.
 Verba fides sequitur: tellus HOLSATICA quantis
 Dotibus imperij condecorata viget?
 Produce RANZOVIO pietas hîc aurea sedem,
 Hîc sibi mansuram paxq; Themisq; locant.
 Tanti tanta viri tantas prudentia vires
 Exerit in populos non renuente Deo.
 ZONA velut mundi discrimina signat aperta,
 Colligit errantem ceu data ZONA togam:
 Pacis & Astræ, Fidei, pietatis & artis
 Cingula sic monstrant florida regna Ducis.

Hic

Hic vir hic est REGIS VIRTUS, fortissima ZONA
 Frangere quam nequeunt mundus & arma stragula
 Hic vir hic est REGNI VIRTUS, peramabile Lumen
 Iustitiæ, Fidei gloria, pacis honos.
 Numine felicem populi venerantur & urbes,
 Illius in laudes docta Lycaea volant.
 Vallibus Aonijs habitat, Charitumq; liquores
 Ætherio circum tecla favore fluunt.
 Sunt gelidi fontes circum, sunt florida Tempe,
 Altaq; gurgitibus sunt vada, piscis opus.
 Arbor & herba ferunt fructus felicibus astris:
 Tanta Ducis pietas præmia tanta meret.
 Quid loquar, ingenuas Dux quas complectitur artes
 Deficiunt pylij verba diserta senis.
 Secula vix unquam similem virtute tulerunt,
 Vix artis similem cognitione Ducem.
 Historicum, vatem, Themidos Fideiq; peritum,
 Astronomum produnt edita scripta virum.
 Bis ter mille libris lectis, quibus adde trecentos,
 Inclyta RANZOVII bibliotheca tumet.
 Hanc decus imperij, virtus hanc clarior astris,
 Tam veniente die, quam fugiente subit.
 Colligit artis opes crebro feliciter VSV,
 Discitur ARS VSV, quo sine spreta jacet.
 Dij servate virum: virtutes ante dedistis,
 Sit patriæ florens arcis & artis honos.
VT VIR VINCET HERVS FIDEI MALA Numina
Fidenti nunquam structa pericla nocent. (SVCCV,
C
Electis

Ulcis domini fraudes qui necere gliscit,
Æquor arat, proprio concidit ense malus.

VI.

Nobiles & Principis Megapolitani
Consiliarij.

IOANNES CRAMMONIVS
CONSILIARIVS.

Anagramma.

Manſi virens Muſa corona conſilij

Gaudet arator equis; felici navita vento;
Cræſus opum cumulo, gaudet amore Cypris.
Tinnit ore parus, labra ſolvit dulce palara,
Ac merulus modulans dulcia metra canit.
Vox turdi trutilat, ſturni vox piſitat, anſer
Gratitat, ore legens mella ſuſurrat apis.
Cacabat at perdix, glocitans gallina gracillat,
Turture cum ſocio maſta columba gemit.
Cucurrit Gallus, pupillat pavo, tinnit
Mollis anas, nido trinſat hirundo vaga.
Grus gruit, accipiter pipatq; Ciconia roſtro
Glaterat, & ſtridit ſtrix fera, milve lapis.
Ac ululant ululae, crocitat cum gulture corvus,
Ferali noctu bubulat ore bubo.

SWS

Sus grūnnit, Barrus barrit, ruginūq; Leones;
Hinnit equus, mugit taurus, Aselle rudis.
Frendet aper, pia balat ovis, vulpecula gannit,
Et lepores vagunt, & canis ore latrat.
Semina naturæ sine sensu bruta sequuntur,
Munera difficile est his aliena sequi.
Nec bene languescit naturæ semen inherens,
Qualis causa fuit, talia facta manent.
Nos quibus est ratio, lapsu quesita parentum
Crimina naturæ, corrigere arte decet.
Labimur in varias mentis caligine sordes,
Fulgida n̄ tenebras lux fuget artis ope.
Ars Themim, ars fidei cultum, virtutis amore
Excitat, ars nisu servat alitq; scholas.
Huic pia se studio tradit formanda juvenus,
Ingenij fructum pars minor inde capit.
Quam bene consuluit rebus virtutis amator
CRAMMONIVS regni gloria, juris honos?
Non hunc desidiæ pestis revocavit ab arce
Aōnidum, nomen consule, certus eris.
MVSA VIRENS MANSI: languentes otia reddunt,
Otia successus non habitura bonos,
Musarum licito decet indulgere labori,
Qui tenebras animi lucis amore fugat.
Vita, decus morum, pietas, sapientia, fama,
Sicut agro flores, artibus aucta vigent.
Pulchrius ut niteat, gemmis includitur aurum:
Tinctaq; nobilitas clarior arte micat.

C 3

Art 11

Artis amor stirpi laudes admiscet honestas,
Arte carens verâ nobilitate caret.

MVSA VIRENS MANSI CRAMMONIVS: arte vil-
Dum Neusterinidum tecta fovebit humus. Crebo,

Arte virent animi dotes, viret arte CORONA
CONSILII, pacem provehit artis honos.

Sorte rudes Themidos mentes mutante labascunt,
CONSILII MANSI jure CORONA VIRENS.

Me pia condecoret pietas durantibus annis,

Sit mihi prima Dei, proxima cura Ducum.

Inclyta consilio florescat Principis aula,

Consilij fructu quæ caret aula, cadit.

VII.

GEORGIUS RAVE.

Anagramma

Ius agger vero.

Aëra non penetrat vulpes, non astra volando
Tangit equus, pelagi nec secat hircus aquas.

Nec benè inæquales habili junguntur aratro,

Nec benè dissimiles lora sequuntur equi.

Omnia nature fiunt operata calore,

Est grave mutari quæ placuere semel.

Profit at ingenitas nature pellere sordes;

Culmina prosternit, nî reprimatur, aqua.

Fluctibus

Fluctibus excurrentis tumefactis littora circum
Personat, & postes, saxa Laresq; quatit.
Obstandum vitio monitis dum flectitur aetas,
Crescere flagitium qui facit, usus erit.
Vsu tela nitent, usus virtutis amorem,
Iustitiæ claras elicit usus opes.
Quid rosa? vere tumet. Majo quid? pulchra virescit,
Iunius ambrosio tingit odore rosas.
Qui pietatis agros ætatis vere peragrat,
Dives erit, canos quum dabit hora dies.
Quis annosa dies multo sudore paratas
Contribuit, vetitus spurcat abusus opes.
Dogmata pervertunt errore carentia Christi,
Pectora qui gestant seditiosa dolo.
Impia iustitiæ minuit sententia vires,
Optima fallaci causa fit arte mala.
Illicitas Themidos causas natura repellit,
Procreat effectus causa probanda bonos.
Iuris honorifico prætexit nomine culpam,
Iudicis in vitium cæca libido ruit.
Hujus at impietas cruciatus perferet Orci,
Iudicium poenas, qui malè dicit, habet.
Iuris ab irriguo damnatio fonte malorum
Manat, & insontis damna caputq; levat.
Clauditur aggeribus, ne cursibus exeat unda,
Quæ semel eruptâ sæva pericla parit.
Pessima Iustitiæ plectuntur corda vigore,
Ne vitij crescat pernicioosa lues.

IUS AGGER VERO: juris moderantibus urbes
vsibus abjectâ crimina fraude silent.

Mœnia prævalido circumdant aggere jura,
Insidiæ Martis jure vigente rigent.

Aggere congesto stant propugnacula tuta,
Securosq; colunt fœmina virq; Lares.

AGGERE fulcitur **VERVM**, fideiq; columna,
Iuris ubi vetitâ friget abusus ope.

Omina profiliunt de nomine tanta **GEORGI**,
Consilio cujus patria terra viget.

IUS AGGER VERO: tu jure Megapolis oras
Illustras, radijs tu decus omne tuis.

Donec jura vigent, vigeas virtutibus auctus:
Principibus res est clara placere viris.

VIII.

THEODORICVS BEVERNESTIVS.

Anagramma

Estne jus Deo thus? Robur cie.

Numinis eternam divini concitat iram,
Quem semel impietas in sua castra trahit.

Hic licet in mundo felices exigat annos,
Digna tamen vitio pœna luenda datur.

Cernimus injustos opibus florere secundis,
Qualiter autumnî sidere floret ager.

Cernit.

Cernimus exitium grave conculcare malignos,
Vt folia hiberno tempore lapsa cadunt.
Semper habet pietas praesentem Numine Christum,
Imminuent sortem secula nulla pii.
Hujus opes licito quaesitas jure virebunt,
Ceu viret Aonio, Laurus amœna iugo.
Impius immiti fatorum frangitur aurâ,
Spes animiq; vigor sorte cadente cadit.
Mens confisa Deo, virtutum dotibus aucta,
Fortunæ dubijs cedere nescit aquis.
Ac veluti crebris compacta bipennibus illex
Tunditur, infra to vertice firma sedet:
Sic mentem nitidâ pietatis luce micantem
Sors quatit, at nullo concidit ista metu.
In dominum curas, praesens quas procreat hors,
Qui jactit, à stygio fulmine liber erit.
Hic pia de laquijs educit corda malorum,
Praestat hic electis, seu fremat arcus, opem.
Impia seu veniant simulato spectra colore,
Seu magico postes carmine tingat anus.
Seu stygis et mundi rabies consurgat in unum,
Mens illæsa manet, quam regit aura Dei.
BEVERNESTIACÆ decus admirabile stirpis,
Omine divinus te comitatur honos.
ROBVR ES, ac animi divino robore praestas:
Heroes fortes fortia corda decent.
ROBVR ES ingenij: ROBVR prudentia vitæ,
Consilium, juris notio ROBVR alunt.

In te

In te virtutum spes inclinata recumbit,
 Iura, fides, pietas te superante vigent.
 Quae res cunq; premunt mortalia pectora curis,
 Pectoris invicto robore victor adis.
 Immaculata fides, pietas sincera triumphant,
 Mens pia victrici sorte carere nequit.
 Corde DEO THVS ES: gaudet pietatis odore,
 Impia qui nescit corda probare, Deus.
 THVS aras decorat, tetrumq; repellit odorem:
 Flebitur ira Dei per pia thura precum.
 Vita quid est hominis dempta pietate? venenum,
 Impietas animam, membra venena necant.
 Qui pietatis opes, animi qui robora querit,
 Astræe cupidus pectora jure polit.
 IVS COLE: virtutem juris comitantur honores,
 Vincula virtutum firmat alitq; Themis.
 Per te clara pij florescat Principis aula,
 Per te jus tribuit nobile cuiq; suum.
 IVS COLE: vince malum, pietas invicta triumphat,
 Virtuti fraudes qui struit, ille perit.
 Hoc duce vita viri cemenis floreat annis,
 Dotibus aucta bonis, quo duce vita datur.
 Transcat in sobolem virtus generosa parentis:
 Protulit effectum causa probata bonum.

IX.

THEODORVS MOLTGANIVS

Anagram-

Anagramma

Honorem laus custodit.

Qui cupit aeternis inscribere laudibus ossa,
Et pius optatâ prosperitate frui:
Discat hic à teneris prudentem degere vitam,
Que nisi virtutis parta calore venit.
Mentibus ingenuæ radios virtutis honestos
Indidit, ingenitos servat amore Deus.
Excolat ars animos, artem corroboret usus,
Sic benè susceptum progredietur opus.
A prudente Deo rerum sapientia manat,
Cœlitus in terras hoc duce cuncta fluunt.
Incitat hic mentes virtutis amore calentes,
Protegit hic vitam, qui sine labe gerunt.
Ducit ad eventus justorum facta beatos,
Iusta Deus mens est, quæ nisi iusta probat.
Hoc duce justitiæ fontes, & dogmata verbi
Discimus, aut Sophiæ quicquid in arte latet.
Non hæc desidiæ veniunt oblata per auras,
Munera dat medio conveniente Deus.
Sicut ager spinas profert neglectus aratro;
Ceu viridi spoliat Bruma colore rosas:
Haud secus ejiciunt animo cœlestia dona,
Otia qui vitæ perniciose colunt.
Ignavi nullo decorantur honore, nec ulli
Officio meritâ laude præesse queunt.

C S

Actio

Actio virtutis calcas virtutibus addit,
Et trahit in laudes exstimulata viros.
Augēt & ingenij vigilans industria dotes,
Præmia sudores non peritura manent.
Quæ te laude virum, quæ te THEODORE sub astra
Fama vehet? fidei stella nitore micat.
Emicat ex vultu vitæ prudentia, juris
Flore viges, Regis te comitatur amor.
A teneris prodest didicisse fideliter artes,
Vfus, & ars usu eorda perita facit.
Ars virtutis opes, ac LAVS CVSTODIT honorem;
Ignavi nullo laudis honore calent.
LAVS fidei cultum, juris CVSTODIT amorem,
Debita quum desunt præmia, languet opus.
Dedita virtuti, laudis stimulatæ calore
Mens indefesso crescat amore Dei.
Principis auxilio curas lenire petito,
Consilium populis suppeditare pium est.

X.

Doctores Theologiae.

DAVIDES CHYTRÆVS.

Anagramma.

Cuj Deus æthra? Dijs.

Sydus ac æther diu.

In variis

In varias olim sordes irrepserat ætas,
Linguarum studio non peragrante solum.
Sordibus errorum penitus submersa jacebat
Gratia, quæ Christi vulnere tincta beat.
Turbidi linguarum fontes oppresserat unda,
Vnde liquor scelerum fluxit in arva Dei.
Cœlica fœditio torquebant dogmata sensu,
Ad cœlum populos qui docuere viam.
Felix, si fidei viguisset flore vetustas!
Impietas res est invidiosa Deo.
Cultior evasit discussis mente tenebris,
Artis ubi mundo cepit inesse nitor.
Emersit nitidam doctrinæ Lumen ab usu,
Perspicuas usus reddidit artis opes.
Fama Dei crevit doctis operata Camœnis,
Auctori redijt laus preciosa Deo.
Misit in humanas cœlesti Numine mentes
Verba voluntatis non peritura suæ.
Naturæq; dedit varias cognoscere vires,
Vnde creatoris fulget, ut astra, decus.
Iussa Dei mundum stimularunt artis amore,
Utilitas studijs nobile calcar erat.
Ars facit ingenuos, ars rusticitate carentes,
Arte Dei crescit gloria, surgit amor.
Orbis opes pereant, vanescit gloria mundi.
Ingenij dotes mors abolere nequit.
Has virtutis opes sibi colligit arte CHYTRÆVS,
Ingenium cujus Rbenus & Ister habent.

Historicus

Historicus, Christi vates, jurisq; peritus,
Astronomus, Sophiæ stella per arva micat.
Historias mundi calamo contexit acuto,
Livius ut quondam Roma vetusta tuas.
Et juvat, & prodest homini res noscere gestas,
Sunt sua virtuti præmia, pœna malis.
Auget Christifono sanctos sermone Prophetas,
Auget Apostolicos utilitate libros.
Si qua rudes rerum sensus caligo retardat,
Lumine verborum verba profunda fugat.
Quid sunt artis opes demptâ pietate? venenum.
Artis luce Dei crescere debet honos.
Novit inauditas prudens discernere lites:
Candida victricis causa triumphat ope.
Seu juvat abstrusas naturæ inquirere causas,
Conscia naturæ dona latentis alit.
Astrorum varios lapsus demonstrat & ortus,
Vnde suas rapiunt terra fretumq; vices.
Seu curru terras, remis seu permeet undas,
Navita quo velis, quo rota currat, ait.
Impulit utilitas terrarum visere sedes,
Ac hominum varias addidicisse vices.
Protulit ingenij cornu de divite fructum
Longævâ dignum posteritate Legi.
Laudes ingenio, laudes virtute paravit,
Que venit ex studijs nescia fama mori cœt.
Sanguine purgatum Christi scansurus olympum,
Letitiâ cernet non pereunte Deum.

Cui

CVI dabit **ÆTHRA** **DEVS**? **DIIS**, qui divina professe
 Dogmata non veram deseruere fidem.
 Sanguine conspersam Christi pro laude coronam
 Imponet capiti cœlica turba viri.
 O ingens decus, ac mundi pulcerrima stella,
 Chare Deo, Musis clare **CHYTRÆE** novem.
 Perge pias calamo rerum describere causas,
 Ingenij radios spargere perge tui.
 Te duce Varniadum florent virtute **Lycaea**,
 Te duce fama Dei fulget, & artis honor.
 Sydera ceu tenebras nocturno tempore pellunt;
 Ætheris ut bonitas commoda multa parit;
 Sic oculis hominum tenebras abstergis, & arte
 Cernere vera doces, falsa fugare doces.
SYDVS es ingenio, **SYDVS** pietatis amore,
SYDVS es **AC** **ÆTHER** utilitate **DIV**.
 Pulchra tibi referat meritas Ecclesia laudes,
 Publica te memori pectore cura vehat.
 Vive Deo; vitam morbo dent fata carentem,
 Gloria venturæ posteritatis eris.
 Vnda furat, Zephirusq; tonet, fremat orbis & orcum,
 E terris animas ducit ad astra Deus.

XI.

LVCAS BACMEISTERVS.

Anagramma

Succus è labris meat.

Illicitus

Ilicitas alius foveat sub pectore curas,
Sedulus & fluxas congerat orbis opes,
Quis erugo vorat, quas usu conterit aetas,
Anxia spes quarum res inimica Deo est:
Felix assiduo Domini qui verba labore
Asserit, & Christi dogmate pascit oves.
Hic feret eternam vitâ florente coronam,
Huic sacra letitiæ signa perennis erunt.
Mens accensa Deo, populiq; salute calescens,
Cogitur in mundo multa pericla pati.
Crimina seu populi dictis castiget acerbis,
Seu placidus medicâ leniat arte malum:
Et quodcunq; facit (tanta est insania mundo)
Iudicio populi displicuisse solet.
Hic coquit irarum flammâs, hic jurgia spargit,
Invidiam mundi mens pia semper habet.
Non hominum placitis, cedendum Numinis iræ:
Numine servatum ledere nemo potest.
Permulcere bonos, scelerum punire furores,
Cura ministerio non violanda datur.
Impius excruciat proprios cruciatibus artus,
Quum se læsurum corda ministra putat.
Styx ruat & mundus, marcescent dogmata nunquam
Electos rabies non premet ulla mali.
In mediâ scelerum custodit clade ministros
Christus, & ex illis nemo perire potest.
Huic Deus intantum studio te subjicit, urbis
BACMEISTERIS decus, nec periturus honor:

Arte

Arte colis teneras, & adauges dogmate mentes,
Addictas Christo gramine pascis oves.
Si quid inhonesto vitij proruperit ausu,
In melius verbo corda monente trahis.
Torrida non cœli facies, non bruma, malorum
Non furor. à studiij te ratione trahunt.
Dum MEAT E LABRIS SVCCVS virtutis & artis,
Incrementa Deo multiplicata paris.
Rebus in æthereis populi prudentia crescit,
Crescit honore Deus, crescit amore fides.
Ac veluti SVCCVM roris torremibus astris
Atrahit, & fructum tempore reddit ager:
Haud secus irroras cœlesti pectora SVCCV,
Ne stygij fiant arida membra canis.
Herescōn Satanas tristissima semina spargit,
Sed radicis egent non operante Deo.
Mens est vera Deus: verum probat, improbat illud,
Nec iuvat, à verbo cuius abhorret opus.
Pascis oves fidei SVCCV, Satanamq; repellis,
Dogmata qui falso falsa colore vomit.
Prosperitate Deus verbi succurre ministro,
Vita favente Deo longa, beata datur.

XII.

JOANNES FREDERVS DOCTOR
THEOLOGIÆ, ET POETA E-
LEGANTISSIMVS.

Anagram-

Anagramma.

Profero vitæ Legem, doceo an-
tistes: in Deo sit Theologus re
sanâ.

AVT EX SOLO NOMINE.

Fer seni dona reus.

Cœlica qui vigili scrutantur dogmata sensu,
Falsa volunt stygijs esse sepulta vadis.
Sæva quid est aliud nisi flammeus heresis ignis,
Exitio plenum quæ medicamen habet.

Parva metu primo, mox se diffundit in omnes
Flamma domos, urbis depopulatur opes.
Fluctibus hereseon victas peragrantibus urbes,
In scelerum casses credula corda trahunt.
Hinc populos, hinc regna movet discordia rerum,
Hinc venit ira malo crimine lesa Dei.

Ah pereat vitio sanctos qui polluit agros,
Vivus hic in stygias præcipitetur aquas.

Verba Dei liceat genuino inquirere sensu,
Impropriis sensus elicuisse nefas.

INQ; DEO SANA RE SIT spes: langueat error,
Labe Deus, maculis dogmata pura carent.

Pura legens verbi divino mella liquore
Colligit infractas laude FREDERVS opes.

Consciis

Conscius immotam mihi VITÆ PROFERO LEGEM;
ANTISTES DOCEO verba sequentia sequi.
Saucia lex trepidis infligit vulnera fibris,
Lex hominum pœnæ territat ossa metu.
Flos Evangelij medicamina sufficit agris,
Ac merito Christi fidere quemq; jubet.
ANTISTES DOCEO scelerum vitare charybdin,
Impia felici crimina sine carent.
Dona reportavit superatis hostibus Hector,
Minciades charitum præmia larga tulit.
Laus fractas renovat vires, laudatq; virtus
Crescit, ubi meritis gratia viva datur.
Laude virum meritâ Charites decorate FREDERUM,
Cujus inest fido pectore fida fides.
Versibus est Phœbi vates, est dogmate Christi
Gloria, consilio juris & artis honor.
Vivit amore Dei tumidos exosus honores,
Ingenuæ dotes simplicitatis amat.
Temporis hæc rabies quod magnum est suscipit, illud
Negligit, à cujus pectore fastus abest.
Fallitur externi qui mores aspicit oris,
Quæ nihil adducunt, fallere signa solent.
Sepe sub abjectâ latitat prudentia veste,
Sepe virum vestis prodit amœna malum.
Sumat in exemplum doctas incredulus artes
Gloria FREDERI queis decorata viget.
Suggestit exemplum cupida solertia mentis;
Ignavas mentes otia tarda probant.

D

Frigora

Frigora non metuit, radios non Solis acutos,
 Quin veteri doceat sedulitate rudes.
 Sæpe iuventutem vigil inuitavit ad artes,
 Vix ubi s' lares emicere fa'es.
 Quis habet artis amor, decet hos perferre laborem,
 Artis cognitio parta labore venit.
 Sudores aurora levat, redditq; peritos:
 Est virtus apto tempore posse frui.
 Minè v' get cerebrum, cerebroq; tenaciter hæret
 Lectio, discendi manè cupido calet.
 Vrbs, Astræa, Charis, soboles Phœbea, iuventus,
 FER sua DONA SENI, dignus honore coli.
 Donorum REVS est, cuius pervenit ad aures
 Ars, pietas, virtus, religioq; viri.
 Dij servate virum: vatem servabis Apollo,
 Ne qua viri tumulum nigra favilla tegat.
 DONA SENI pietas feret immortalia vati:
 Vita, Deus, cælum sunt pietatis opes.

XIII.

VALENTINVS SCHACHTIVS
 DOCTOR THEOLOGICÆ

Anagramma

Succus & doctrina Theologiæ
 alit onus.

Hc16

Heu quantis hominum tenebris constricta tenentur
Pectora, dum fraudis tempora felle madent.
Fallere qui nescit, fallaci fallitur arte,
Toxica serpentum lingua venena vomit.
Virq; viro fraudes intencat, amicus amicum
Decipit, in fraudes ingeniosus abit.
Testis erit varijs Ecclesia fluctibus errans,
In quam Styx tacitos evomit atra dolos,
Commovet erroris crasso sermone procellam,
Quæ premitur populis cymba referta Dei.
Flectere si nequeat verborum fluctibus urbes,
Si nihil acta levi flamine cedat aqua:
Fit via vi scelerum, ferro super ingruit omnes,
Perq; domos tentat prælia, perq; vias.
Ni pelagi valeat Christus sedare furorem,
Obruta jam dudum flumine prora foret.
Hic cohibet Stygij volitantia vela Draconis,
Ne subeat portum, quem subiisse cupit.
Excitat arte viros, puppis qui lora gubernent,
Qui tumido tradant vela secunda mari.
Quæ fidei clypeo phlegetontia monstra repellant,
Freta Deo superat fata severa fides.
Te Deus elegit, SCHACHTI, virtute peritum,
Per mala, per fluctus ut veherere maris.
Tu scelerum Syrtes nosti, fraudisq; charybdin,
Arte vales, rerum cognitione vales.
Te duce cymba Dei malesanum navigat æquor,
Te duce ventorum cessat in urbe furor.

Hereseōn scopulos inuictā deprimis arte,
 Commonstrans rectam per vada tuta viam.
 Navita caelestis resonantibus imperat undis,
 Naufragium fidei quo duce nemo tulit.
 Ut vales alios verbi conspurgere SVCCVS,
 Expanis Christo rate favente tuum.
 SVCCVS ALIT populos fidei dulcedine, SVCCVS
 ET DOCTRINA rei comoda mille ferunt.
 Est onus ingratum, nisi fructus reddat agent,
 Utilitas durum lenit & auget ONVS.
 Succus ET impositum sequitur DOCTRINA laborem,
 Verbi ONVS æthereas monstrat adire domos.
 Hic animos SVCCVS Christi virtute madescens
 Abluet, & patris cernere regna dabit.
 Vita quid? umbra, dolor, labor, irrequieta voluntas,
 In solo requies vita salusq; Deo est.

XIV.

DAVIDES LOBECHIVS.

Anagramma.

Is huc ob Dei laudes.

Dispereant vano quicumq; tenentur honore,
 Ac animi curas in bona fluxa locant.
 Querere divitias, & quos sitit orbis honores,
 Abstulit interitu corpora mille virum.

Lib.

Eis, dolus, impietas, vitium tumefacta sequuntur
 Pectora, & elatis nescit adesse Deus.
 Inflammata gerit meliori Numine corda
 LOBECHIVS, fidei non periturus honos.
 Non hunc orbis opes, non gloria mordet inanis,
 A solo pendet spesq; fideq; Deo.
 Conscius infixum tenet imo pectore Christum:
 Felix cui Christi verus inheret amor.
 Quicquid habet mundus mundo pereunte peribit,
 Quisquis amat Christum, luce superstes erit.
 Ut petit aestiva cervus sub sidere rivos,
 Et properans avidam pellit ab ore sitim:
 Haud aliter verbi liquidos decurrit ad amnes
 Eliciens fidei non dubitantis aquas.
 Sedulus exhaustas populos partitur in omnes,
 Quos juvat ex Christi fonte fugare sitim.
 Vnius ex merito Christi manare salutem,
 Sancta Pericleo templa lepore docet.
 Artis honorifico præfulget honore juvenis,
 Præcipiens puri querere fontis opes.
 Quæ non insidiæ, quas non consumat & ætas,
 Omnia quum pereant, coelica verba manent.
 Separat à Christi matrocentes dogmate feces,
 Corda quibus Satanas commaculare studet.
 IS HVC OB domini LAVDES ad littora Balthææ
 Venit, & æthereâ colligit arte gemam.
 Pabula dans ovibus lascivos dissipat hædos,
 Ne caper in Christi spargat ovile luem.

Errans errat ovis fido spoliata magistro,
Ac nisi pastor ovem duxerit, errat ovis.
Ne delus erroris crescentes fascinet agnos,
LOBECHIVS fidei gramine pascit oves.
Cerberus hæreticum latè diffundit odorem,
Et trahit in fauces credula corda suas.
Candida LOBECHIVS confusus Numine cœli
Dogmata Rostochio Doctor in urbe serit.
Eloquitur sensus animi, fraudesq; perosus
Sixa, feras, homines vocis honore moret.
IS HVC missus a læst, Christo quod colligat agmen,
Efficit OB LAVDES quod facit omne DEI.
Sentiatur æternas victuro nomine LAVDES,
Prospera Cum ææ secula vatis agat.
Laus est, membra Dei verbo pascente tueri,
Hæc sine morte viget, gloria vana perit.

XV.

Doctores Juris.

MARCUS LVSCOVIVS.

Anagramma.

Ius sacrum oculus.

Vt decus est stellis cœlum, stelleq; colori,
Ut color est auræ splendor, ut aura soli
Sic

Sic Themis est mundo, mundus Themidiq; columnas
Gloria IVs hominis, mundus & astra Dei.
Sol removet tenbras, rebus dat Luna colorem,
Stellarum faciem sol tegit ortus equis:
IVS OCVLVS mundi, rerum tutela bonarum,
Imperio fasces orbis & urbis habet.
Furta, dolos cohibet, Legum moderamine lites
Sedat, & in pœnas impia facta trahit.
Protegit insontes, vitiorum tela repellit,
Pacis amor, fidei gloria jure viget.
Munere non Cræsi, non Marte nec arte movetur,
Facta probanda probat, facta neganda negat.
Omnia ceu tepida solis fervore vireseunt,
Sole refert fructus arbor & herba suos:
Sic quoq; jure viret virtutis & artis honestas,
Quod sol est, mundo juris id esto vigor.
Vtq; Deus solem mundo præfecit & astra:
Sic hominum juri corda regenda dedit.
Tradidit imperijs varium moderantibus orbem,
Qui nisi fax scelerum jure regatur, erit.
Felices populos, & ab omni parte beata
Regna, quibus præsumt juris amore viri!
Dotibus his regio succincta Megapolis ornat
Præmeritos, nullam somibus addit opem.
IVS OCVLVS SACRVM vitas & crimina discit,
Pœna malis, dantur præmia digna bonis.
Iuris & artis honos LVSCOVIVS approbat illud,
Comprobat exemplis docta corona vivum.

IVS OCVLVS mundi: LVSCOVIVS arte Lyceæ
Est OCVLVS, juris religionē decus.
Huic fidei donis innoxia vivitur ætas,
Fulgida iustitiæ Numina dives habet.
Docta viri Iovis auspicio feliciter hora
Floreat: interitu jura carere solent.

XVI.

JOANNES ALBINVS.

Anagramma

En nisi laus bona.

Impiger Æneas laudum stimulatus amore,
Dura solo gessit prælia, dura mari.
LAUS animos hominum varias detrudit in artes,
Ferreus est laudis quem nihil aura movet.
Hic dat nequitie causas rebusq; nefandis:
Excitat ignavos actio nulla boni.
Hic terit instabilem secura per otia vitam,
Hunc Bromius docuit pocula, labra Venus.
Hinc dolus, hinc lites resonant, hæc deniq; causa
Fecit, ut in paucis esset honoris amor.
At tibi, qui licito virtutis amore calescis,
ALBINO laudis nomen & omen adest.
Arte potens Themidos non subtrahis ossa labori,
Nec piget auxilio tecta fovere Ducum.

CENVS

*Canus es annorum serie: solertia mentis
Floret, & exitij nescit habere diem.
Lumen amas veri nullá formidine tractus,
Que mala sunt damnas, jure probanda probas.
Quod sentis animo, lingue probitate modestus
Eloqueris, fraudum pectora felle carent.
Heu quicumq; refert menti contraria dicta,
Quim ferus, & multis attulit ille malum?
Perfidie pœnas venienti sentiet ævo
Perfidus, & stygias tristis adibit aquas.
LAVS tua justitiæ laudes decantat & auget,
LAVS tua propitij flagrat amore Dei.
Quem veniente die, quem decedente celebras
Carminibus, votis, religionem, fide.
Cura Dei vigilans senium solatur & ægros,
Tristitiam cordis vota precesq; levant.
Si quis inoblito Christum sub pectore gestat,
Fert animi secum non peritura bona.
Huic quæsitæ placet studio LAVS juris & artis,
LAVS BONA virtutis merx preciosa manet.
EN NISI LAVS vivis Christo Themidiq; dicata,
EN NISI LAVS merito floret honore BONA.
Care Deo, dilecte Duci, juriscq; sacerdos,
Vive diu, vita est vivere amore Dei.*

XVII.

BARTOLOMEVS CLINGIVS.

Anagramm

Anagramma

Callet jus ob nigrum os.

Lingua quid est aliud motus nisi ventus ab Euro?
Venus abit, nec vox dicta redire potest.
Felix, qui didicit linguam frenare molestam,
Optima lingua bonum, pessima lingua malum.
Lingua probos lacerat, virtutum pungit amantes,
Evomit in Christum garrula lingua nefas.
Lingua movet rixas, irarum lingua creatrix,
Lingua sibi interitum saepe parare solet.
Lingua dolosa tegit mellis dulcedine mentem,
Guttura melle madent, pectora felle scatent.
Iure sed huic valido metam praefixit honestas:
Res mala felici sine carere solet.
Instuiae cupidos, linguae qui retia frangant,
Instituit rerum cognitione Themis.
Hi dubias hominum norunt discernere lites,
Verbaque despiciunt cordis et oris opus.
Sparsit elatis si quis convitia buccis,
Nescit labra bonis parcere, poena premit.
Si quis fistula malefactorum proferat ore,
Aut vetitum ledat religione fidem;
Mendacis cohibent linguam divina morosam
Iura, quibus vitium desinit aeta loqui.
Surge Themis scelerum domitrix, fraudesque repelle,
Linguarum vetitis injice frena sonis.
Efferat

Esferat hoc sonitus lingua, quod suadet honestas

Que nimis à vero sunt aliena, neget.

CLINGIVS ingenio dives rerumq; peritus,

Eloqui spargit cum ratione faeces.

CALLET OB OS NIGRVM juris quod postulat usus.

Juris inops lites dissoluisse nequit.

Qui NIGER est lingua, credentem fallit ut aspis,

Mella sub ore gerit, pectora felle tumens.

Aspias excruciat prae cordia sana venenum,

Lingua premit famam, praelia lingua serit.

Præpera IVS CALLENS morbo medicamina præbet,

Linguae pus removet, vulnera sana lavit.

CALLET OB OS NIGRVM IVS juris & artis amator

CLINGIVS, in cujus non furit ore dolus.

Viribus Astræe que sunt injusta repellit,

Subjiciens frenis NIGRA labella domat.

Fata viri linguam veræ virtutis amantem

Arte regant: ingens est pia lingua bonum.

XVIII.

JACOBVS BORDINGVS DVCIS

MEGAPOLITANI CANCELLARIVS.

Anagramma

Dico jura probanti ac malis,

Lac fugens Legibus induco.

Imbibit

Imbibit ut madidos tellus exhausta liquores ;
Vernus ut arentes irrigat imber aquas :
Haud secus Astrææ penetrat mortalia succus
Pectora, si vigeant juris amore viri.
Aurea legiseri quondam præcepta Solonis
Officio populos continuere suo.
Sanguine flagitij tellus conspersa rubebat,
Ac loca solliciti plena furoris erant.
Perfidie flammæ cupidâ de mente fugabant,
Supplicij animos jure prementæ malos.
Ius erat auxilio juris fugientibus iram,
Exitio vitij membra sepulta dedit.
Fecit Θ imperium rebus florere secundis,
Trusit in obsequium ferrea corda sui.
Temporis hæc rabies vitio stimulatur eodem,
Sæpius ipsa Themis crimine læsa meret.
Robore Doctorum solido suffulta triumphat,
Injicit ac pœnæ, qui nocuere, metum.
Opprimit invictis malesanos viribus ausus,
Erigit insontes, nec sinit ense premi.
Iuris amatores æternis laudibus ornat,
Consilio celebres efficit, arte bonos.
Vnde sibi Regum validâ virtute favorem,
Ac hominum plausum conciliare solent.
Hujus promerito rutilat BORDINGVS honore,
E cujus cerebro dicitur orta Themis.
Principis intentus librat sub pectore causas,
Fidus agit, fidum cœlica fata manent.

Quod

Quod pietas, quod vera fides, quod juris honestas
Exigit, hoc sensu perficit, arte regit.
Aspera mitescunt posito certamine rerum
Secula, si Themidos flore virescat humus.
Que caret auxilio liciti Respublica juris,
Consilio frigus crimina quaeq; patrat.
Publica justitiae succum trahit aura vigentis
BORDINGO, sane vir pietatis amans.
Maeste animi donis, virtutibus utere felix,
Talia confusus Numine verba refer:
DICO IVRA MALIS: fremitu tonet orbis, & oreus
Invideat, DICAM IVRA severa MALIS.
Lex premit injustos: sua DICO IVRA PROBANTI,
Legibus insones libera colla gerunt.
LEGIBVS INDVCO SVGENS pietatis & artis
LAC, percant Themidi qui fera bella struunt.
Sis Themidos cultor, laudes extendito Christi,
Candida virtutis fama perire nequit.

XIX.

HENRICVS CAMERARIVS.

Anagramma

Ius cerne, cur? amaris.

Sæpe subest brutis ratione carentibus omen,
Omnia nature gramen & arbor habent &

Rebus

Rebus & humanis serus om̄en inesse negabis?
 Omen saepe suum mens generosa probat.
 Hoc fax virtutis CAMERARIUS, ait Minerva,
 Mercurius lingua jure Themista, facit.
 CVR superum fideiq; memor IVS CERNIS? AMARIS,
 Astra nitent, mundus turget amore tui.
 Te pietas, te cana fides, te docta Lycea,
 Te reus ac insons, curia laude vehunt.
 Iure reos damnas: insones jure tueris,
 Asseris ore bonos, deseris ore malos.
 Omnibus hæc maneat juris constantia: causas
 Non jus, injustas, juris abusus agit.
 Hinc te lance Deus felicitat ubere rerum:
 Cura Dei justum deseruisse nequit.
 CVR vigil officio IVS nobile CERNIS? AMARIS,
 A quo justitiæ fons & origo fluit.
 Iura Deus sanxit: sine jure labascit honestum,
 Humanæ mentes semina juris alunt.
 Præficit Astræe populis divina regendis
 Lumina, quæ mundi Numina jure voces.
 Iure vigente Deus, pietasq; fidesq; virescunt
 Pax, pietas, virtus jure silentio silent.
 Nulla salus populis sine sancto iuris amore,
 Cura Dei mundum per pia iura regit.
 Dispareant inter si qui divortia quarunt,
 Verba sequenda Dei, juridicamq; Themim.
 Iustus CERNE diu IVS; CVR? præclarus AMARIS,
 Cui Deus & mundus ridet amore, viget.

Iustus

Iustus CERNE diu jus; CVR? annosa Rosarum
Per te iustitiæ Luce Lycea nitent.
Per te consilij splendor super aethera tranat,
Per te flagitium deprimit aula Ducum.
Cœlica perpetuo tueantur fata vigore,
Rebus in adversis corda Laresq; viri.

XX.

ERNESTVS COTHEMAN
LEMGOVIENSIS.

Anagramma.

Ius legem & honorem sensu
sancit.

Pulchrior est duris virtus exercita rebus,
Quam quæ nobilibus stirpis honore datur.
Mortua nobilitas res est pietatis egena,
Improba, virtutum quæ probitate caret.
Non mel pigritiæ bello præfecit Achillem,
Arte rudes Regum non capit aula viros.
Gloria sed quorum perspecta nitescit in orbe,
Hos gravibus comites rebus adesse sinit.
Consilio profunt Themidos prudente periti,
Consilium sapiens à sapiente venit.
Regibus et populis IUS gratum SANCIT HONOREM,
Iuris honos LEGEM SANCIT amore Dei.

Impeto

Impete non dubio, rationibus utitur æquis,
Munera IVS SENSU SANCIT honesta pio,
Seu quis cæde manus, seu stupro polluat ossa,
Seu nequeat placitis abstinuisse bonis:
Ius vitij LEGEM SANCIT venerabile sensu,
Impietas hominum lege repulsa cadit.
Lex durare facit populos Regumq; columnas,
Lex favet æqua bonis, invidet æqua malis.
Legis amatori meritum IVS SANCIT HONOREM,
Morte caret meritus juris & artis honos.
Sublato legum reverentia cessat honore,
Prudentes gravitas cum pietate decet.
Improba debilitat dirimendos actio casus,
Iuris honos sensu deficiente riget.
Ni sua contingat prudentia rebus agendis,
LEX, HONOR inuisam contrahit inde luem.
Iuris ad cmeritos COTHMANNVM vexit honores,
Ingenium, sensus, religionis amor.
Atria consilio Regum suffulcit honesto,
Provehit auxilio, mœnia, templa, scholas.
Non hominis censum rebus proponit agendis,
Iustitiæ sensum providus arte movet.
Hunc labor assiduus veram virtutis ad arcem
Evehit, & facto laus generosa datur.
VVestphalicis Themidos quo nulla virescat in hortis
Fama, Verecundo non decet ore queri.
Tot Sophiæ radios spargit legumq; peritos,
Quot segetes tellus VVestphala dives alit.

Inclyo

Inclita COTHMANNI meritis se gloria rebus
Tollit, & eximia præmia laudis habet.

IVS populis LEGEM SENSU, IVS SANCIT HONO-
Iuris honos mundi pace coronat opus. (REM,

Da superesse virum Deus instaurator & autor
Iustitiæ, Regum sit sine libe decus.

Hoc duce juris honos, Ecclesia crescat eodem,
Ingenij fructus fertilitate dabit.

XXI.

CHRISTOPHORVS STVRTIVS.

Anagramma

I, Christus ortus, portus.

Si quando pelagi fluctus tolluntur in altum,
Æthereâ portum Nauta subintrat ope.
Omnia sunt hominum varijs subjecta procellis,
Fidemi CHRISTVS PORTVS & ORTVS erit.

Non ego desertum vidi pietate valentem,
Quod pietate caret, non solet esse diu.
Sors licet adversis fremat exagitata periclis:
Arcet ab electis seva pericla Deus.

Hoc duce quis metuat Satanae mundiq; furores?
Hoc duce qui vivit, cum duce victor erit.
Fluctibus adversis virtus exercita crescit,
Robur & attritu spes cruciata rapit.

E

Laudi

Laudi sudor iter meritę designat apertum,
Artis fama venit parva labore gravi.
Res dubias superat virtus animosa serendo,
Ac volitat victrix docta per ora virum.
Actio producit virtutis & artis honores,
Virtuti CHRISTVS PORTVS & ORTVS adest.
STVRTIVS ingenio Pallas, linguāq; Pericles,
Historicus, vates juris, & orbis honor.
Iuris honorificā redimitus tempora lauro,
Munere virtutum clarus in orbe nitet.
Protulit hunc regio tenebris extracta Livonum,
Extulit hunc vere nobilitatis opus.
Hunc pietate Numam, legum fervore Lycurgum
Dixeris, & patrię fidus, honoris iter.
Iustitię cupidus causas prudenter iniquas
Damnat, & infracti juris anhelat opes.
PORTVS ut errantem pelago, Zephyrisq; subactum
Excipit, & tutos collocat ante Lares:
Tristia sic fidei depellit nubila PORTV,
Ledere fidentem nulla procella potest.
Sol velut exoriens prænuncia signa diei
Nunciat, ac ORTV candidiore nitet:
Haud secus ingenij radios virtutis & artis
Exerit in mundi Numine dante plagas.
Euge mel Aonidum, Themidos Regumq; corona,
Iure reos damna, jure tuere bonos.
STVRTIADI generis ramos extende virentes,
Iuris & eloquij germina pulchra feras.

si sa.

Si sacra te bonitas Christi custode coronat,
Nil metuas, præsens quid ferat hora mali.
Seu stygis & mundi videas consurgere fluctus,
Fide, Deus vitæ PORTVS & ORTVS erit.

X XII.

HAIO A NESSA DOCTOR
IVRIVM.

Anagramma.

Honoras jus Dei, victor ama.

Non semper segetes crescunt felicibus arvis,
Non vineta merum semper amœna ferunt.
Non tutum nitido semper confidere cœlo,
Abdita sepe gemunt nubibus astra poli.
Nec bene venturas studium differtur in horas,
Umbra volat, citius flos juvenilis abit.
Dum tener est animus, dum sunt in corpore vires,
Quadrupedes stivæ jungit arator equos.
Edidicisse bonas artes sub flore negabit,
Qui decus est vitæ, qui ratione valet?
Quem Deus, ut posset, propriâ sub imagine finxit,
Castalij fontis tingere corpus aquâ.
Non tantum ut vigeat florens Ecclesia Christi,
Illa tamen summi causa laboris erit;
Quin Regna Themis studijs exulta virescat,
Vilitas vitium quæ venit inde, fugat.

Non domus, aut populus, non curia, regna, nec urbes
Iustitiâ florent deficiente diu.
Solis ut educit tenebras absentia terre:
Sic requies juris crimina fœla parit.
Durum iter ad Themidos duro sudore recessus
Ducit, & ære tumens pera, Deiq; favor.
Quam bene consuluit vite juvenilibus annis,
HAIO decus Themidos, gloria viva Ducum!
Floribus ætatem cinxit virtutis & artis;
Qui serit, biberno sidere semen habet.
Sanus hic eloquio, sana est prudentia, sanus
Iure colit sanctâ religionem Deum.
Cresce, nec omnibus tituli te subtrahere victus,
VICTOR AMA fato IVS veniente DEI.
Vincat amor juris, Christi; immensa cupido,
Iure premas fontes, erige jure bonos.
Thus pietatis amas, & IVS virtutis HONORAS,
Votum quam fatum plus in honore valet.
Invida si vitæ minitentur fata ruinam,
VICTOR AMA cœli Numina, victor eris.
Spes, pietas, votum, jus, mens sibi conscia recti,
Invidiam forti dissipat ense stygis.
Perge favere bonis Themidos justissima proles,
Consilij facias flore vigere Duces.

XXIII.

GEORGIUS ROSELERVS IVRE-
CONSULTVS.

Anagramma

Ius lego, res rego, verus consul
ritus.

Est iter immensum Themidos quod ducit ad arcem,
Non datur ignavis exuperare viam.
Turbida quot numero diffundunt æquora naves,
Quot refluxo pisces gurgite Varnus alit:
Per varios casus, per tot juga dura laborum
Fertur ad Astræe mens generosa Lares.
Ingressurus iter vigili si colla labori
Detrahat, à vero tramite pulsus abit.
Pigritiæ miseros quisquis sectatur amores,
Virtutis nunquam perficit ille viam.
Fallitur, Astræe si quis decurrat ad antrum
Ære tumens, tumido laudis honore calens.
Non nummi faciunt, nec honor, nec blanda voluptas,
Mollibus ut studijs pectora culta gerat.
Efficiunt doctos doctæ sudoribus artes,
Et labor, ac usus perficit artis opus.
Quem delectat iter Themidos, torpore fugato
Propositas sedes ingeniosus adit.
Frigora non Boreæ studijs contraria vitat,
Solis anhelantes non fugit ille faces.
Nil adeo durum, quod non solertia vincat,
Dij sua distribuunt dona labore gravi.

Iuris amatores sinuosa volumina juris,
 Ocia damnantes pernicioſa, legunt.
 Hos trahit Aſtræ prædulci ſemita ſueta,
 Dulcis ab effectu ſurgit amara via.
 Clare vir exemplum nobis ROSELERE miniſtras,
 De te ſedulitas talia verba reſert:
 IVS LEGO: virtutis creſcunt exempla legendo,
 IVS LEGO, juſtitia creſce legendo decus.
 IVS LEGO, notitias rerum cape cura legendo,
 Iura legens mundi RES REGO juris ope.
 Quis rego leges, ritus quos quælibet ætas
 Excolat, ingenij diſco calore mei.
 VERVS amor Themidos manet altâ mente reſtus,
 Conſilium RIVVS CONSVL in urbe ſero.
 Longum iter ad Themim: at rebus dat gloria calcar,
 Artis duritiem cura levare ſolet.

XXIV.

IOANNES BONSOVV

Anagramma.

Vive bonos annos.

Quid congeſta gravi ſudore pecunia prodeſt,
 Splendida quid Regum teſta, quid orbis ho-
 Si fidei decus ac pietatis langueat ardor, (nos?
 Non niſi fortunæ ſunt pereuntis opus.

Cræſus

Crcesus opes vigili dubias collegerat ausu,
Spe citius cultu pauperiore cedit.
Fortis Alexander sub jura subegerat orbem,
Imperij mutat fors inimica vices,
Omnis opum cumulus subito vanescit, ut umbra,
Sola Deo pietas debita, morte caret.
Freta redemptoris merito super ardua scandit,
Arma Fides Satanae frangit, & astra subit.
Fervor opum flammis animos sumentibus urit,
Divitibus requiem non sinit ardor opum.
Crescit amor nummi cumulo crescente bonorum,
Splendescens foco flamma sub igne furit.
Mens inhians opibus quaesitis sanguine Christi,
Divitias fluxae spernit amore rei.
Fundit opes pietas, quas non absorbeat ignis,
Floret ubi pietas, hic bona cuncta vigent.
Haec sunt cordis opes, has est inquirere tutum;
Debilis orbis opes orbe cadente cadunt.
Hujus habet vitae pietas promissa, futuro
Tempore, caelestes spondet adire domos.
Nec prohibet victum licito sudore parare,
Ocia nec vitae desidiosa probat.
Est mala res proprio rebus confidere Marte,
Causa boni est precibus sollicitanda Deus.
Publica privatis praepone commoda rebus
Sit labor, ac miseris munera ferre decet.
Hinc bona perpetuo venient operata favore,
Hinc homo concessas dives habebit opes.

Hoc pietatis opus teneris sectatus ab annis
Iustitiae BONSOVV splendor, & aura Ducum,
Hinc te cura Dei felicitat omne rerum:
Divitias fidei qui sitit, ille sapit.
ANNOS VIVE BONOS: vitæ bonitate coruscas,
Larga Dei bonitas gaudet adesse BONIS.
Es BONVS ingenio, BONVS arte, fideq; probatus,
Tota sit hic bonitas, qui malus esse nequit.
ANNOS VIVE BONOS fidei Regumq; corona,
Vtq; BONVS possis vivere, vive BONIS.

XXIV.

BARTOLOMEVS CICHLER
DOCTOR IVRIS.

Anagramma

Labris cicur homo est, Doctor
L. jure.

Inter aves omnes tenuis quas continet aër,
Quas fovet & tellus, est Philomela decus.
Munera naturæ dulcissima cernis in illa,
Dulce Melos dulci gutture læta canit.
Pallimur? aut hominum superat Luscinia voces,
Aut hominum certè vox imitatur avem.
Ingerit hæc odium nulli dulcedine cantus,
Innocuo laudes concinit ore Dei.

Vix

Vix ubi promicuit removens aurora tenebras
In viridi residens carmina fronde novat,
Fallor, an humane renovent modulamina voces,
Munera naturæ, non ego fallor, habeat.
Tardus hic eloquio, verborum parcus, at alter
Ingenio dives prodit, et ore celer.
Sensaq; proloquitur concepta fluente palato,
Eloquij dotes, quod remoretur, abest.
Letitiæ stimulis intentas commovet aures,
Non secus ac Orpheus saxa ferasq; chely.
Eloquium vitæ decus est, ac gloria mundi,
Pulchrius eloquio non habet orbis opus.
Felix, eloquij fines qui novit et usum.
Quæsitæ vitæ damnat abusus opes.
Prima Dei laudes, sit proxima cura tueri
Insontes, animi tertia sensa loqui.
Eloquij tantos poterit qui spargere fructus,
Facundum meritò dixeris esse virum.
Antistes Themidos CICHLER, justissimus æqui,
Dotibus eloquij fulget, ut astra poli.
Pondere non vacuus rerum, non artis egenus,
Eloquio profert utilitatis opes.
Dicit id aula Ducis, testantur littora Balthes,
Varnus ubi Oceanum per vada curva petit.
EST CICVR ingenio, LABRIS CICVR, omnia prudens
Consilij mirâ dexteritate facit.
LEGVM IVRE fidem retinet sub pectore DOCTOR.
Cælica fidemem protegit aura Dei.

Inre

IVRE CICVR Pyllos feliciter exigat annos,
Publica florescit jure vigente salus.
Perferat infracto venientes pectore casus,
Electis bonitas nescit abesse Dei.

XXV.

MARTINVS CHEMNITIVS
IVRECONSULTVS.

Anagramma.

Christum amet in sinu, consule
Virtus.

Est via Palladis quæ fert virtutis ad arces,
Arctia sub ignito quæ latet axe poli.
Est gravis ascensu, visu peramœna videtur,
Detinet aspectu peiora mille suo.
Non sic Mausoli domus exornata refulget,
Regia non Solis, non loca pulchra Ducum.
Limina marmoreo stant intertexta colore,
Assyrium terras arte colorat ebur.
Clara micante auro scintillant culmina, turris
Astra laboratum vertice tangit opus.
Dulcibus exultat circum concentibus aura,
Carminibus saliant culmina mota pijs.
Non locus hîc vitijs, non vitâ deside gaudet,
Expetit accessu sedulitatis opes.

Noctes

Noctes atq; dies aditum venientibus offert,
Illecebris Satanae sed via tota scatet.
Languida debilitat teneros ignavia sensus,
Mlanda Viatores in sua castra trahit.
Pascat insidijs animos sudore fugato,
Non juvat ignavos laudis & artis iter.
Hanc residet iuxta Veneris furor, atra Voluptas,
Hinc Bromius largo diluit amne sitim.
Excitat intrantum vitij dulcedine mentes
Efficit incastos, segnitiamq; parit.
Quem semel in casses trahit irrequieta Libido,
Hanc datur ad laudes currere nulla via.
Hic opus est curis, opus hic sudore parato,
Inceptum Satanas ne remoretur iter.
Pocula, segnities, Venus ac damnosa Voluptas,
In via Virtuti tela furore struunt.
Fautrices scelerum, Corrupticesq; juventae,
In vitio fidei corde fugare decet.
Nuper ad hanc faciens iter indefessa Voluntas
CHEMNITII forti Marte subegit apros.
Non dolus à cepto revocabat tramite mentem,
Artis honos illi gaudia, sudor erat.
Sicut Aristaeus superato dulcia monstro
Mella fatigati dona laboris alunt;
Sic quoq; CHEMNITIVS Virtutis ad antra labore
ibat, & meritum rettulit inde decus.
Tempora fulgebat lauro decoratus & auro,
Cui lateri Virtus junxit amore Themim.

I, me4

I, mea progenies, radios virtutis in orbe
Sparge, virens mundi gloria, dixit, eris.
Erige consilio Regumq; Ducumq; columnas,
Invia virtuti non datur ulla via.

Terra viri dotes agnoscat: CONSVLO VIRTVS,
CHRISTVM AMET IN tacito relligione SINV.
Omnia dives habet virtutis munera, CHRISTVM
Quisquis AMAT, Christi notio, tuta salus.

XXVI.

HINRICVS A BERGEN.

Anagramma.

Hinc in rebus, ager.

Felix qui potuit rerum discrimina nosse!
Propria naturæ semina quisquis alit.
Omnis ager simili non omnia sidere gignit,
Notio multiplicis nec manet una rei.
Indidit has rebus leges natura creatis,
Nulla dies posthac quas soluisse potest.
Hic segetes, illic crescunt felicius uvæ,
Dissimili crescunt arbor & herba loco.
India non segetes, non poma virentia profert,
Semina fert dives solis adusta face.
Gemma Tagum novit, conchis & piscibus æquor
Exundat, pennis æra pulsat avis.

Gaudet

Gaudet hyems glacie, maturis solibus aestas,
Terra ferax frugum vomere, arator equo.
Fluminibus salices, & apertis collibus uvæ
Nascuntur, Boreæ frigora taxus amat.
Arborei foetus solis bonitate virescunt,
Semina dant fructus tempore sparsa suos.
Est natura soli vario distincta calore,
Diversas vires semen & herba fovent.
Infelix lolium terrâ prorumpit eadem,
Qua Thymus & segetes, Liber & unde venit.
Felix qui potuit naturas discere rerum!
Usibus humanis noxia & apta gerunt.
Non terræ vitio, naturâ seminis illud
Accidit, hæc rebus vim dat, & illa decus.
Rebus in humanis eadem variatio rerum
Non sine diversâ cognitione latet.
Hic varios cæli cursus explorat, & annos,
Hic populos Christi dogmata pura docet.
Ille per Astrææ currit non segniter hortos,
Matris Athenææ querit & alter opes.
Omnibus in rebus sua ducit opinio quemq;
Iudicium raro rebus adheret idem.
Pars nisi vera probat, pars in contraria currit;
HINC AGER INREBUS sæpe colendus erit.
Ingenio, votis, usu dubitatio rerum
Tollitur, ac veri Lux generosa micat.
Iuris in ancipiti, crebro suffultus ab usu,
HENRICVS veri semina querit agro.

EST AGER IN REBUS: rerum discernere litera
Novit, & à sensu pellerè jura malo.
Numina justitiæ voto pietatis adorat,
Florida fama viri floret in arce Ducum.
Succurrente Deo feliciter omnia cedunt:
Ingenij spargat non periturus opes.

XXVII.

MARTINVS NORDANVS
IVRIS PERITVS,

Anagramma

Non ruiturus stas in rupè: diri-
mas.

Multa super scopulis hærens, super æquore multa
Fluctibus adversis nauta pericla timet.
Nauta pericla timet puppim quassante procellâ,
Volventis gyri nauta pericla timet.
Prora volat quatiens immani pondere rupes,
Velaq; Neptuno rupta fremente labant.
Pars avulsa cadit, pelago pars mergitur alto,
Exagitant fluctus corpora viva maris.
Inconcussa sedens tergo non vulnera rupes
Accipit, at velis æquoris implet aquas.
Iupiter Astream, cœlo quam misit in orbem,
In medio positam servat alitq; mari.

HANC

Hanc Erebi pestes rostris mordacibus aëtam,
In mare fluctisonum præcipitare student.
Exercent odijs nautæ, quos fovit in antro,
Flagitij diro dira Megera, Themis.
Funditus ut Themidos valeant evertere rupem,
Viribus assiduis Vela ratemq; parant.
Ipse ratem Satanas stijgiâ Virtute gubernat,
Velaq; descendens perfurit ore minax.
Lis, dolus, ebrietas, furtum, Venus, atra Voluptas,
Horrida navali bella furore movent.
Astræam circum dubijs anfractibus errant,
Nunc hac parte furens, jam Volat inde ratis.
Iamq; volens Divam superare in rupe morantem
Frangitur, & fractam flebilis unda bibit.
Stat Themis, & nullo Vultum fervore movetur,
Non secus ac rupes exitiosa rati.
Quis furor est Themidi vires inferre dolosas?
Huic animam melius non habuisse foret.
Aspera vis belli populos evertit & urbes,
Florida sola manet Marte furente Themis.
Bello jura Vigent, neq; pacis tempore frigent,
Cœlica Custodit jura fidemq; Deus.
Spicula nil hominum metuas NOR DANE malorum,
Incolis infractas jure favente domos.
STAS IN RUPE stijgis non CORRUITURVS in undas
Quam tumidi franget nulla procella maris.
Oblatas positâ DIRIMAS formidine lites:
Tuta Themis tutos possidet arte Lares.

Christus

Christus erit RVPES licitis firmissima rebus,
Protectore Deo causa probata viget.

X XVIII.

HINRICVS STALMEISTERVS.

Anagramma.

Sis virtutis lac merens.

Miles ut emeritas duro certamine laudes,
Donaq; victrici parta labore meret:
Gloria sic decorat VIRTVTIS castra secutos,
Quam rapiet nullis Ennosigæus aquis.
Rebus in humanis non est preciosior ulla
Actio, virtutis nobile præter opus.
Hæc hominum mentes dijs immortalibus æquat,
Hæc hominum celebri laude per ora volat.
Fluctibus adversis fortunæ cedere nescit,
Aspera contundens fata serendo fugat.
Frangitur haud animis Zephyro spirante secundo,
Blanda voluptatis tecta subire timet.
Difficile est rebus non tollere corda secundis,
Prospera res animos luxuriare facit.
Fraude carens scelerum præter loca fervida currit,
Inficiunt mores turpia facta bonos.
Gaudet & utilibus studium præponere honesti,
Non sibi quod prodest, quod decet, illud agit.

Culmina

Culmina consilio stabilit Regumq; Ducumq;
Vrbs virtute carens prosperitate caret.
Omnia vincuntur, virtus manet unica victrix,
Que mala sunt sternit, corda decora fovet.
Deprimit elatos, humiles attollit in altum,
Colligit eternas juris & artis opes.
I nunc & rutilum præfer virtutibus aurum,
Aurum abit, ast virtus laude perennis erit.
Hæc à divitijs tantum dissentit opimis,
A cœli quantum vertice distat humus.
Non huic terra parens, stygio sed natus in antro,
Actio virtutis quem nihil æqua movet.
Parte sed hac melior LAC STALMEISTERVS habe-
Asserit infractâ qui pietate fidem. (tur,
Quem non blanditiæ, quem nulla pericula frangunt,
Virtutis studio nil prius esse putat.
Aurea fecundam nec fallit opinio mentem,
Que virtute scatet mens, pietate tumet.
Extirpat scelerum sordes, fideiq; vigorem
Elicit, extractum firmat, adauget, amat.
LAC Themidos nitidum manat VIRTVTIS in agrum
Humectans juris corda liquore sacri.
Livor abest animis: commissa negocia tractat,
In solo jaciens spesq; fidemq; Deo.
Conceptam fidei spes non confundit amorem,
Exsuperat fraudes spes animosa stygis.
Augēt opum cumulo pietas VIRTVTIS amantem,
Ingenij dotes possidet, orbis opes.

F

SIS

SIS LAC VIRTUTIS, Themidos mel amabile pura
LAC probitate MERENS secula mille merces.
LAC eris ingenij, VIRTUS præclara tuorum,
In laudes ibunt Curia, templa, viri.
Te Deus incolumem Lactis dulcedine pascat,
LAC cursus nunquam sistat in orbe suos.

XXIX.

LEVINVS BATTVS.

Anagramma.

Tu Nilus beatus.

Divitijs captus si quis contempserit artes,
Credat hic invisum Numen adesse sibi.
Orbis opes veniunt fortunæ motibus, orbis
Laus cum divitijs sorte rigente riget.
Non ego divitias vidi, viguisse sed artes
Post hominum vivo secula mille rogo.
Orbis opes dubias casus consumit & ætas,
Cana dies horret tollere cordis opes.
Igne furente senex, quas amisisset in urbe
Divitias, mecum porto rogatus ait.
Omnia Vulcani lacerat penetrabilis ardor,
Sedibus ex imis culmina sternit aqua.
Pallas in immotâ virtutis sede moratur,
Viribus hanc tentas ledere, victus erit.

Hece st,

Hæc est, quæ populos sociali fœdere junxit,
Hæc est, quæ tutas iussit habere domos.
Hæc, quæ pagus erant, muris circumdedit urbes,
Hæc varios hominum fecit in orbe status.
Hæc sceleri posuit metas, hæc semina legum,
Ex Themidos sancto vertice nata dedit.
Felix qui studiis incumbit, & artis honores,
Ignotos rudibus discere gestit homo!
Non hunc deliciae, non gloria mordet inanis,
Aurea victuræ præmia laudis habet;
Iusta probat, precibus Numen cœlesti veretur,
In Domini laudes dirigit artis opus.
Aut regit arte scholas, aut Christo colligit agmen,
Aut Themidos puras castus anhelat aquas.
Patris ad exemplum submittens artibus ora,
Debita iustitiæ dona LEVINE geris.
NILVS es ingenio, NILVS virtute BEATVS,
NILVS es, Astrææ funde BEATVS aquas.
NILVS ut Ægyptum complet stagnantibus undis,
Fertilitas siccis profluit unde locis:
Sic quoq; consilio memes tuearis egenas,
Vt bona victrici causa triumphet equo.
Et nisi NILVS agros solis fervore perustos,
Irriget, adjunctâ fertilitate carent:
Iustitiæ mundus si non flectatur habenis,
In vitium rueret non sine clade nefas.
Iura Dei bonitas, fovet æternumq; fovetibi:
NILVS in orbe diu B A T T E B E A T V S eris.

XXX.

ERASMVS REVTCIVS.

Anagramma

Es virtus, me curas.

Conquerar? an taceam? rodunt prae cordia curas,
Difficile est cuiquam non aperire malum.
Nec bene perpetuo rerum vox gnara filescit,
Nec bene veraci turpia verba sonant.
Res bona pressa jacet, victrix hanc erige Virtus,
Ficta canam, verum restibi ficta dabit.
Nuper ut egressus Varni spatiabar ad undas,
Duxit ad optatum me scapha parua locum.
Hic viridem tentans ab humo convellere frondem,
Vidi virgineos accelerare pedes.
Prima mihi sese laceratis vestibus offert,
Relligio lacrymans talibus usa sonis:
Que regio, aut tellus vetitis non cultibus horret?
Heu nimium proprio pectora fisa malo.
Sepius admonui sanctas ne desere sedes,
Non habet eventus impia vita bonos.
Impietas hominum terris me trudit & ira:
Contemptum sequitur poena dolenda Dei.
Tu superum VIRTUS REVTICI, ME pectore CVRAS,
Fortite, inceptum perfice, saluus eris.
Altera dicta FIDES demisso lumine fatur:
Raris rara fides, fraus ubi regnat, adest:

Turpibus

Turpibus indomitas vitij laxantur habenas,
Insidiæ, mendax, jurgia, bella, doli.
Dant sine mente sonos, sine pectore verba loquuntur,
Guttura melle madent, pectora felle scatent.
Dedidicere fidem mutatis legibus urbes,
Tutaq; vix casulis est adhibenda fides.
Heu genus invisum Superis! heu perfida secla!
Perfidie poenas perfida corda luent.
Tu fidei VIRTUS REVTCI, ME pectore CVRAS,
Fide Deo, presta jure petente fidem.
Ultima subsequitur lacrymis Asiræa profusis:
Nulla salus populis jure silente datur.
Fraus, honor, æra, favor dant muta silentia juri,
Impia sepe dato causa fit ære bona.
Iure reis poenas, insonti præmia jure
Reddere, justitiæ Christus origo jubet.
Parcite subjectis, & debellate rebelles,
Vos quibus imperij sunt data sceptrâ, viri.
Aut Deus excindet sceleratâ gente senatum:
Iure carens Christi terra favore caret.
Tu Themidos VIRTUS REVTCI, ME pectore CV-
Omnia dives habet, qui sacra jura colit. (RAS,
Præmia virtutis, vitio succumbere tristi
Nescia mens unquam non peritura feres.
Hæc ubi finierant: quærentem plura relinquunt,
Eja agè virtutum munera fidus habe.

XXXI.

F 3

IACO.

IACOBVS HEINE DOCTOR.

Anagramma.

Odi: Hector cane ob jus

Livor edax auctos virtutum dotibus ODI,
Livor edax ODI pectora fisa Deo.
Livor edax homines oneratos artibus ODI,
Livor edax ODI fata secunda virum.
Livor edax legum disrumpe repagula, tristes
Invidie flammis differo livor edax.
Livor edax stimulis lingue stimulat in omnes
Invehor, insidijs perfuro livor edax.
Livor edax rigidos animos in bella coegi,
Livor edax fregi moenia, regna, domos.
Livor edax totum moderarer fascibus orbem,
Impediat cursus ni Themis æqua meos.
Quem potuit nullo mundus compescere motu,
Hic jacet unius victus ab arte deæ.
Livoris domitrix mihi jure vocabere, justum
Non fugis hostili territa facta metu.
Virtutis flammis frustra livore sepultas
Eruis, et solita luce micare facis.
Impia justitiæ cohibes præcordia freno,
Simplicitas veri, nec simulata placet.
Invidiam removes, lites discernis, et iræ
Extirpans animo non finis esse faces.

Iure

Iure potens siccos irroras fontibus agros,
Prisca fides, pietas te superante virent.
Res injusta cadit, premitur tumefacta, triumphat
Causa verecundæ jure vigente rei.
Livor edax ODI sanctæ virtutis amantes,
HECTOR OB acceptum IVS CANE, victor eris.
Hectora nonnunquam casus conculcat acerbus,
Hectora victorem causa probata facit.
Hector eris, superas ausis qui fortibus hostem,
Qui mala ferre potes, per mala victor eris.
Victor eris, scelerum flammis qui jure coceres,
HECTOR OB acceptum IVS CANE, victor eris.
Quàm dictum bene! te referet victoria clarum,
Qui duplici doctus jure IACOBE nites.
HECTOR es ingenio, victor virtutis honore:
HEINIADES decorant nomina docta Lares.
Ut facis, insistas prudens vestigia patris,
A patre progeniem degenerare malum est.

Impulit in patrias Musam descendere laudes
Consilium, gravitas, religioq; viri.
Huc decus imperij, Themidos rosa dirige frontē,
Primo Doctores inter habenda loco.
Da veniam facto: facit imprudentia mentis,
Hic tituli ponam quod monumenta tui.
Omnia ceu virtus loca libertate peragrat,
Sic laudata loco quolibet una viret.

FRE-

FREDERICVS HEINIUS.

Anagramma.

Vinces jure, id fers.

Non sine divino R. spública Numine fasces
G. stat, & imperio subdita corda movet.
Cernimus in vicis decoratas legibus urbes,
Diversos hominum cernimus esse status.
Lex divina malis pœnas infligit & iram,
Nec sinit innocuos Marte vel arte premi.
Illa magistratûs humeris innixa, malorum
Insidias pœnâ conveniente premit.
Totus abundaret vitiorum sordibus orbis,
Languida si vitij's debita pœna foret.
In populi vetitos vigil inquisitio mores
Surgat, & ex æquo puniat ense malos.
Iudicium iudex prudens proferat ore,
Perfidie pœnas exigit ipse Deus.
Queris cur geminas homini concesserit aures?
Vna sit innocuus, altera aperta reis.
Vnde Quirinali meritò decorantur honore,
Iusticie quorum corda calore calent.
Qui memores populi communia jura tuentur,
Vrbis ut imperium, promeruerè, gerant.
Imperij fasces non est contemnere tutum,
Hujus ab æterno manat origo patre.

Vulgus

Vulgus iners, vitij & seditione tumescens,
Sæpe magistratûs facta furore premit.
Ad placitum vulgi si quis torquere loquelas
Tentârit, scelerum labe sepultus erit.
Mens nihil invidiæ fremitu commota tremiscat,
Iusta triumphando causa vigere solet.
Impia justitiæ damnantur verba rigore,
Insidias superis qui struit, ille perit.
IVRE malos vincit, subjectos IVRE tuctur,
Imperium Christo quod duce jura fovet.
Gloria Varniaci, pars exaltata Sena'ûs,
IVRE malos VINCES lux FREDERICE Dei.
FERS animo Christum, FERS fulmina juris in ore,
Iuris amor summo cum Iove Numen habet.
IVRE malos VINCES, præcordia dura domabis,
FERS grave consilium consul in urbe gravis.
Exere in invidiam Themidos virtute sagittas,
IVRE malos VINCES concomitante Deo.

XXXII.

IOANNES ORTGISEVS
HERVORDIENSIS.

Anagramma

Erro, si jus Dei non est rosa
vigens.

Quis

Quis fuit, invidiæ primus qui protulit usum,
Quam malus, & miseræ cladis origo fuit.

Tunc lites hominum, tunc fraus accrevit & ira,
Tunc scelerum viguit Iure silente lues.

Quam bene vivebant, populos moderante Lycurgo
Legibus, unanimi fœmina virq; gradu.

Non acies, non ira ferox, non tela, nec hostis
Floruit, insidijs tuta canebat avis.

Navita divitias pelago captabat, aratro
Rusticus, enituit Iuris & artis honos.

Criminis hoc vitium est, quo mens accensa furore
Iustitiæ sanctos depopulatur agros.

Cræsus & Irus inops decoratos artis honore
Spernit & Astræam vile quid esse putat.

ERRO, VIGENS SI NON EST IVS ROSA. Iure vi-
Tuta fides, pietas, mœnia, Regna, domus. (crescunt,

Iure Deus gaudens subjecit legibus orbem,
His sine cœlesti terra favore vacat.

Cœlitus in terras legum fervore bonarum
Copia felici prosperitate fluit.

Vt ROSA florescit Boreæ depressa furore,
Solis ubi tepidus crescit in axe calor:

Sic scelerata jacent tenebris errata sepulta,
Sanctaq; fert flores Iure vigente fides.

Quis furor est Iuris puras extinguere flammam?
Prosperitas rerum Iure rigente riget.

ERRO, VIGENS SI NON EST IVS ROSA: laudis a-
luris amatores, cœu ROSA pulcra, vigent. (more
Felix

Felix in gremio sancti quem conscia Iuris
 Detinet accenso Numine Diva Themis!
 Hic sectatur opes virtutis & artis honestas,
 Quas minuent nullo secla furura die.
 Lux Themidos, Fidei decus ORTGISEE refulgens,
 Laus tua prædictis dotibus aucta nitet.
 Seu Themim admoveas, seu Christi dogmata rebus,
 Vtraq; te claro nomine fama vehit.
 Ars sua cuiq; venit duro quæsitâ labore,
 Præmia sudores non moritura manent.
 Ut ROSA sub spinis: sic sub cruce gloria floret;
 Commoda spe citius Dij meliora ferunt.
 Deprimit interdum fors, ut tollantur in altum,
 In Dominum curas qui posuere suas.
 ERRO, VIGENS SI NON ROSA IVS EST: ERRO vi-
 si sibi fidentes deserit aura Dei. (cissim
 Error abest; Themidos ROSA sis ORTGISEE virescens,
 Sis ROSA divini dogmatis, error abest.
 Error abest; decorat ROSA terras: moenia IVRA,
 Fidentemq; Deus deseruisse nequit.
 Error abest; ROSA cresce Deo virtutis odore,
 INDVS ODOR gratæ posteritatis eris.

XXXIII.

IOANNES GRYPHIUS

IVRIS PERITVS.

And-

Anagramma.

Ius in piis; virtus pios in
re regas.

Quos agit impietas, scelerum teneantur amore,
Et stygio fiant præda parata cani.
Impia successus producit vita malignos,
Iratumq; sibi crimina Numen habent.
Ab miser irati torquet quem Numinis ira!
Est bona placatum res habuisse Deum.
Illum perpetuis Furie cruciatibus urgent,
Illius & fibras conscia facta premunt.
Quo se cunq; movet, sequitur trepidatio mentis,
Ante oculos fremitu pœna luenda volat.
Felix, flagitij sordes exosus amorem
Corde sub erecto qui pietatis alit!
Hunc Dominus cornu felicitat ubere rerum,
Hunc variâ decorat cognitione boni.
Pars regit imperio populos, pars jure rebelles
Mitigat, & Christo subdita corda parit.
Legibus impietas hominum florescit ademptis,
Flagitijs metam ponere iura solent.
Pura Deus mens est: puros Ius nobile fructus
Elicit ex animis utilitate PIIS.
Guttura conspurcat erocitans putredine corvus,
Involvunt cæno squalida membra sues.
Quid juvat impuris splendentes fontibus undas
Addere, quid volucrum fulgida gemma juvat?

Iure

Iura quid imbutis vitiorum crimine profunt,
Qui præter vetitum nil meditantur opus?
Ex quibus utilitas usus non manat in ullos,
Perniciem pariunt impietate suã.
Iura pios decorant querentes commoda regni,
IVS IN pectoribus floret honore PIIS.
GRYPHIVS ingenuo gaudens pietatis amore
Legitimas querit Iuris & artis opes.
Rixarum simili librat pius omnia lance:
Pulcra PIOS VIRTUS prosperitate REGAS.
Morte caret VIRTUS, licet infremat orbis & orbem,
Efficit æternã laude virere viros.
Tàm bene conveniunt VIRTUS & juris honestas,
Quàm socio turtur gaudet amica pari.
Virtutis violas benè olentes procreet ætas
GRYPHICA: Nestoreos dent modo fata dies.

XXXIV.

HERMANNVS VVILMS IVRIS
PERITVS.

Anagramma.

Res juri rupes: Laus nisum
munit.

Quid juvat ornato profundere verba colore,
Cordaq; dulciloquã voce movere virum?
Aut

Aut quid inexpertos sectari laudis honores,
Nominis ac ævo vendere inane decus?
Non amat artificem vocis, moderamine rerum
Gaudet honorificus crescere Iuris honos.
Obruit interdum vivencia flumen aquarum
Corpora, præcipiti fulmine tecta cadunt.
Actio sæpe boni vetito corrumpitur usu,
Et quæ non prosunt verba, nocere solent.
Dogmata garrulitas involvit vera tenebris,
Sunt mala, quæ rerum pondere verba carent.
Eloquij vires rebus jungantur apertis,
Res est eloquio juncta perennis honor.
RES IVRI RV PES: sine rebus jura labascunt,
Aucta viget rerum cognitione Themis.
Futilitas linguæ causas evertit & urbes,
Futilitas linguæ semina litis alit.
Futilitas linguæ renovat certamina Martis,
Linguæ futilitas est inimica Deo.
Unica ne desit Linguarum gratia rebus,
Expetit, Astrææ lumina quisquis amat.
Quod pelago RV PES: hoc Iuri notio rerum est,
Illam comminuit nulla procella maris.
Hanc non linguarum sonitus turbabit inanis:
RES inhibent valido verba molesta sono.
Dotibus his rutilat patrijs HERMANNVS in oris,
Cui meritus Iuris tempora cingit honos.
Non illi studium laudes conquirere vulgi,
Nec sine dat rerum cognitione sonos.

Hæc alij

Hæc alij cupiant: titulo virtutis & artis

In patria vitam condecoratus agit.

LAVS animi NISVM casti nisi candida MVNIT,

Quæ venit à doctis laus, sine morte datur.

Rebus lingua carens, & laus indebita friget:

Quod virtute caret, non solet esse diu.

Longa Deæ fausto sub sidere stamina nectant,

Cujus LAVS NISVM MVNIT honesta, viro,

Fulmina verborum sine viribus acta per auras

Dissipet, inceptis RESQ; Deusq; favent.

XXXV.

ELIAS PEROTTVS LICEN-
TIATVS IVRIS.

Anagramma.

I, pios artus ale, lites curis
vitent.

Impietas Satanam cælo detrussit in Orcum,

Diluvio populos impia vita dedit.

Perdidit impietas flammis ardentibus urbes,

Impia cælesti vita favore caret.

Cernimus injustum rebus florere secundis,

Floret ut in verno florida laurus agro.

Cernimus injusti mutari tempore sortem,

Clara nec assiduo fulget ab axe dies.

Prospe-

Prosperitas rerum comitatur saepe nocentes,
 Quis premet aeternum poena futura mali.
Cui curae est pietas, hic possidet omnia dives,
 Hunc domini bonitas erigit, ornat, amat.
Fluctuat in pelago rerum discrimine tractus,
 Opprimit at pelagi nulla procella pium.
Quo res cunq; cadunt caelesti robore fultus,
 Sustinet adversae fata ferendo r. i.
Aemula mordacis non dat convitia linguae,
 Fulmina rixarum pacis amore fugit.
Divitias miseris sortem miseratus egenam
 Suggestit, & praestat commoda mille pijs.
Tu quia non ficto gestas sub pectore Christum,
 Evolvens veteri jura PEROTTE fide;
ARTVS jure PIOS ALE: damna jure nocentes,
 Ut te siderei cura favoris alat.
EST ALVISSE PIOS, insontes jure tueri,
 Corde favere bonis EST ALVISSE PIOS.
Non ego fallor, ALIS proprios virtutibus ARTVS,
 Quos aluisse decet, non ego fallor, ALIS.
Impius insane stimulaturs litis amore,
 Res caret eventu litigiosa bono.
Pacifico LITES curarum pondere VITA,
 Quem pia cura movet, litis hic arma fugat.
Dum CVRIS inbias, quas jus confirmat & aequum,
 Pace nihil mundo dulcius esse puta.
Pax conservat agros, thalami pax provehit ignes,
 Pace vigente vigent curia, templa, Themis.

IOACHI-

XXXVI.

IOACHIMVS REIMARVS
LICENTIATVS

Anagramma

Hic lac & ramus justi juris
maneo.

Quod si vera canunt veterum monimenta virorum,
Sedibus æthereis juris origo fluit.

Huic Themis æternos famæ promittit honores,

Ac exantlati dona laboris, opes.

Ah crudele genus, mens ac incerta futuri,

In bona quæ curas interitura locat.

Aspice, quàm dubijs hominum sors fluctibus erret,

Quàm ruat in præceps gloria, vita, salus.

Orbis opes dubias ignis consumit & unda,

Collectas subito morbida vita vorat.

Divitias animi si quis collegerit usu,

Illi pauperiem non dabit ulla dies.

Liber ab invidiâ sortis penetrabit ad Indos,

Virtutum cupidis quælibet ora favet.

Ceu rosa vere novo, ramus ceu floret: honoris

Florida sic rerum dona peritus habet.

Laudibus ingenij merito REIMARE nitescis,

Dum Themidos fructus non simulanter amas.

G

Not

Non Erebi Furias metuis mundiꝫ; furorem,
Iuris ad incudem dirigit artis opus.
Matris ut uberibus tenerum Lac extrahit infans:
Sic tua Iustitiæ labra liquore madent.
Cresce, seres proprii decus immortale laboris,
Nec fidei dubitat de probitate Themis.
Quæ n. labra jure premas: tituli nec ferre recusa
Omnia: LAC MANEO IVRIS, & artis honos.
HIC ÆQVI MANEO IVRIS mel amabile, IVRIS
RAMVS ero, sancti IVRIS amator ero.
Styx fremat, inuideat mundus, pia causa triumphat,
IVRIS amatores protegit aura Dei.

XXXVII.

Doctores Medicina.

VVILIELMVS LAVRENBERGIVS

Anagramma.

Vbi vulnus melle veri rigas?

Vsibus attritam varias crescentibus herbis
Naturam vires attribuisse patet.

Frigore concretos dispellit Ruta dolores,
Majorana fovet membra, cicuta necat.

Efficiunt Cerasi tumefactum munera ventrem,
Mixta Galanga Croco corpora sicca facit.

Castaneus

Castaneus, Porrum, Buxus, Nux magna, Canapus
Incutiunt cerebro damna, caputq; premunt.
Cum Piviro Muscus capitis corroborat usum,
Et parit ingenium sobria vita bonum.
Omnibus insudit, tellus quas procreat, herbis
Usibus humanis congrua dona Deus.
Morbida perpetuis agitantur corpora morbis,
Cum brutis homines debile corpus habent.
Ne qua lues subito consumat viscera morbi,
Aurea vis herbis, quæ medeatur, inest.
Non datur herbarum causas aperire latentes
Omnibus ex æquo, ceu rude vulgus ait.
Efficit ars Medicos, usus confirmat eandem,
Usus at est fallax, qui caret artis ope.
Herbarum varios qui depinxere colores,
Consilium Medicis cum ratione ferunt.
Corpora multa neci dedit ignorantibus herbis
Erro vagans, Monachus, cor rude, rasor, anus.
Ab pereant vetulae, veteri Medicina colatur
More, nec in doctas serpat abusus opes.
Fila trahant vetulae, Monachus stet vertice raso,
Propria quisq; sui dona laboris agat.
Sint medici, Medicos quos ars effecit et usus,
Ne miser ulterius progrediare, cave,
Lux LAVREBERGI medicinae laude coruscas,
VVLNVS MELLE REI Doctor in arte RIGAS.
Morborum causas aperis, fontiq; malorum
Tu medicas calles applicuisse manus.

Irrigat ut siccos, cœlo qui decidit imber,
Solis ubi cancro flamma refulget, agros:
Haud secus infirmis præstas medicamina rebus, (Rigas.
MELLE RIGAS morbos, VVLNERA MELLE
Ut decus est capiti LAVRVS, LAVRVSq; coronæ,
Pulcra corona viro, vir pietate Deo:
Sic decus est morbis Medicus, Medicusq; medelæ,
Tu decus es morbis, tu medicina malis.
Dum viret irriguo Parnassi vertice LAVRVS,
Florebit toto nomen in orbe tuum.

XXXVIII.

IOANNES BACMEISTERVS

Anagramma

Morbi causa est in sene.

Vita quid est aliud nisi mors, & semita morbi,
In vitâ stabile est, perpetuumq; nihil.
Vita rosæ similis Phœbo surgente virescit,
Sol ubi mergit equos, vita salusq; cedit.
Corpore nunc hilares illæso degimus ævum,
Crastina contundit membra dolore dies.
Vidi ego crescentis medio sub flore iuventa
Florida inoptatæ membra dedisse neci.
Vidi ego corporeis tumefactum viribus, horæ
Momento amissas condoluisse toro.

○ homi-

O hominum curas centum qui quaeritis annos!
Vix horae spacio corpora clade carent.
Morborum rabies sanos irrepit in artus,
Viribus exuitur, qui modo fortis erat.
Membra venenatae ledit contagio pestis,
Torrida siccat febris in ore furit.
Omnibus in mundo fugiens ducentibus aevum
Dissimilis morbi causa parata venit.
Quam bene vivebant paradysi in sede, priusquam
Arbore de vetita poma refregit Adam.
Nulla lues animis haerebat, corpore nulla,
Gloria rebus erat, perpetuusq; vigor.
Nec sua librabat miserabile spicula lethum,
Non stygio Satanas sparsit ab ore malum.
Aera non nimbus, non pura viscera terre
Teter odor, sex non inficiebat aquas.
Inconcessa labris corradens poma, malorum
Intulit in mundum mille repente vias.
IN SENE MORBORVM residet tristissima CAUSA,
Differtur, nunquam tollitur arte malum.
Immatura lues maturam corpore mortem
Ne pariat, vitio certa medela datur.
Suppeditat miseris tellus medicamina rebus,
Herbarum morbos vis generosa levat.
Quarum naturas quibus est inquirere cordi,
Non moritura sui dona laboris habent.
IN SENE sit MORBUS, Christo duce CAUSA malo-
Cessat, ubi dantur Pharmaca certa malo. (rum
Quantus

Quantus apud Græcos Podalyrius arte medendi,
Serapio quantus, quantus Apollo fuit:
Tantus apud patrios Medicinæ stella Penates
BACMEISTERE micæ, laudis & artis honos.
Longa tibi ducant fatalia stamina Parca,
Ante diem tumulus ne labra docta tegat.
Fidus es, auxiliomiseris succurre, Lycea
Provehe, consilio nomen in omen eat.

XXXIX.

HENRICVS PAVLI MEDICVS.

Anagramma.

Deus hic cura piis lumen.

Dulichium superat vitâ prudente juvenis
A teneris artes quæ studiosa colit.
Hinc non inficiunt Venus, aut damnesa voluptas,
Semina quæ vitæ defidâ esse solent.
Heu serò elapsos revocamus fletibus annos,
Quum premit annosam cana senectâ caput.
Tum vires animi, mens quum florescit ut artes
Percipiat, studijs excoluisse juvat.
Tolle bonas artes, rerum quoq; vincula tollis,
Et benè concordés tristia ad arma vocas.
Tolle bonas artes, fidei virtutis & equi
Semina languescunt, nec reditura rigent.

Tolle

Tolle bonas artes, superum bonitate remota
Murtis & invidia sordibus ardet humus.
Seruet bonos artes humano semina cordi
Dat Deus, ut doctas eruat artis opes.
Novimus exemplis, fontes has esse bonorum,
Consilium vite, presidiumq; ferunt.
Sint, merito Christi partam qui voce salutem
Edoceant, & que ducat ad astra fides.
Sint, vetitis scelerum tribuant qui premia factis,
Iure regant animos conveniende bonos.
Sint, hominum medicam recereent qui corpora curant,
Inveniant doctis pharmaca docta modis.
Sydus ut in caelo: sic qui sub flore juventae
Artibus indulset, lumen in orbe micat.
Hoc sectatus iter teneris HENRICVS ab annis,
Debita consumpti dona laboris habet.
LVMEN HIC ingenij super orbem sparget & urbem,
LVMEN HIC est medicam cognitione PHS.
Lumine morborum causas scrutatur & usum,
Caelesti medicam Numine monstrat opem.
Noxia que frigus, que corpore causa calorem
Producat, Medicus colligit, arte iuvat.
Ludit Apollinea vacuus testudine curis:
Est vari, & Medico Phœbus utriq; parens.
Hec non ignavo veniunt quesita labore,
Otia dant rerum desidiosa rudem.
Cura viri felix centenis floreat annis,
Asclepius morbos leniat, arte fuget.

Lues-

Luce DEVS LVMEN cœlesti protege, CVRA
N: qua premat doctum vis inimica caput.
Fausta laboranti duce te medicamina præstet,
Te duce LVMEN, erit Numen in arce poli.

XL.

CHRISTOPHORVS HEINIOCHVS

Anagramma.

Sic ens pro Christo vivo.

Militat omnis homo Christi qui nomen adorat,
Quem beat una fides, militat omnis homo.
Ex. iiii. sanctis mimitatur mentibus orcus,
Nec cohibet mundi noxia tela furor.
Nocte dieq; pios quærens circumvolat artus
Subaolus immiti quos vorat ore Satan.
Vtq; lupus pecudes cupidus feritate vorandi,
Lædere si nequeat viribus, arte nocet:
Haud aliter valido spoliatus robore Dæmon,
Insidias, miseros ut premat, arte struit.
Falsa serens Christi corrumpit dogmata, falsi
Ducit amatores de Phlegetonis aquâ.
Irá animos acuit, veteris contagia culpe
Auger, & ancipites de pietate facit.
Fæda redemptoris deleri sanguine facta,
Ac vetuis veniam rebus adesse negat.

Permit.

Permittente Deo bellorum suscitatur ignis ?
Permittente Deo quod facit, omne facit.
Fortia pestiferis cruciat præcordia morbis,
Corporeæ non est una figura necis.
Insicit æreos tetrâ fuligine cursus,
Unde lues homini surgit, et unde satis.
Territat Æolico terras pelagusq; furore,
Nulla quies fremitus, meta nec ulla doli.
Exitio Sathanas totum submergeret orbem,
Si non insidias, qui remoretur, erit.
Fragilis intrepido ne conumcatur ab hoste
Mens hominum, præstant Numina rebus opem.
Dogmata præcipiunt Domino committere curas,
Qui sibi fidem non perijsse sinit.
Protegit ille pios medio in discrimine rerum,
Tela stygis frangens protegit ille pios.
Et dubitamus adhuc Christi nos credere curæ ?
Hoc duce qui vivit, cum duce tutus erit.
Cui Gallenus opes Medicinæ prompsit ab arte
HEINIOCHO veræ cura salutis adest.
Exuperat fremitum Christo confisus Averni,
PRO CHRISTO vitam Numine plenus agit.
Languidulos medico recreat medicamine sensus,
Est medicina Dei, quo medeatur, opus.
Sic referat: VIVO CHRISTO Fideiq; dicatur,
Vita mihi Christus, spes mea Christus erit.
ENS age PRO CHRISTO VIVAS dum vesceris aurâ,
Vivus opes Christi, non ego fallor, habes.

Sit

Sit tua vita Fides, sit Christus cura salutis,
Cum CHRISTO vitam, non ego fallor, habes.

XLI.

Doctores & Magistri Philosophiæ
Professores.

MAGNVS PEGELIVS PROFES-
SOR MATHESIOS.

Anagramma.

Pegasus sum alis. Rogo, tenes
spem? Fero.

Sæpe poetarum veri signata colorem,
Virtutis specimen fabula ficta refert.
Quod celer alato penetraverit æthera cursu
Pegasus, innatæ pondera laudis habet.

Hunc veteres perhibent casâ ceruice Medusæ
Sanguine fedatis prosiluisse comis.

Vngula Castalidum peragrans Heliconæ volando
A proprio Musis nomine fecit aquas.

Astra petiturus supra caput insidet alis
Bellerophon, terram corpus inane petit.

Quinque decemque micat stellis infixus olympo
Grgoneus nitidi stella nitoris equus.

Hic concessa subit nature munia felix,
Expetit ignotos alter adire Lares.

Calice

Coelica concessam fortunat cura laborem,
 Qui majora subit viribus, ille cadit.
 Numine PEGELIVM fausto divina Matthesis
 Nixa Medusæis ducit in astra comis.
 Non hunc turbat equus, nec agit Dea conscia cœli
 Præcipitem, nisi quod cupit, omne capit.
 Sydera quo distent spacio, cui regna vel urbes,
 Cui mare subjiciat, prævidet arte, polo.
 Quid faciat ventos, rutilo quid crine cometas,
 Elicit ingenij dexteritate sui.
 Magna refer, sed vera refer: SVM PEGASVS ALIS,
 Magnus es ingenij, maximus artis honos.
 Magnos magna decent: es rerum PEGASVS ALIS,
 Orbis & abstrusus effodis arte vias.
 Virtutis cupidum nec te spes læstat inanis,
 SPEM fers, immotâ religione cales.
 Tristia spe ferimus, sperando ducimus ævum,
 Spe veniunt artes, spe redit æris opus.
 Paupertatis onus sperando sustinet Irus,
 Spes meliora petit, deteriora fugit.
 MAGNVS magna refer: mecum circumfero Christi
 SPEM merito nixam, SPEM FERRO. SPEMq; colo.
 Irarum flammæ in me Styx spargat & orbis,
 SPEM FERRO, spe servor, spe peto regna poli.
 Inchyta Varniadum studiis infirmo Lycea,
 SPEM FERRO, spe vivo, nitor ad astra fide.

XLII.

ERA.

ERASMVS STOCMANNVS
PHYSICVS.

Anagramma.

Canus es, hic piis monstras
usum.

Omnia vilescunt, certè vilescit & etas,
Non eadem, primo quæ fuit orbe, manet.
Sydera primus Adam nongenis viderat annis,
Quum subiit mortem, ter quibus adde decem.
Et natos natorum, & quos natura per illos
Edidit, est brevior vita sub axe data.
Temporis accessu, centum qui vicerat annos,
Hic vitæ capit longior esse dies.
Omnia nunc celeri pendent morientia filo,
Et fragili vivus conditione ruit.
Sæpe puer novies qui vix ascendere Solem
Vidit, inoptatâ morte peremptus obit.
Sæpe necat juvenes, ac florens viribus ævum,
Sæpe puellares mors vocat atra choros.
Est vitio vitæ brevitatis attracta parentum,
Ante lucem mortis qui voluere mori.
Ob scelerum sordes, quibus orbis & unda tumescit,
Vilescant tellus, ventus & ignis, aqua.
Viribus amissis sugunt elementa venenum,
Resq; minus succu conveniente fovent.

NOB

S
Non tamen hæc sunt rerum ratione malarum,
Omnia contingunt non reuente Deo.
Sæpe pios citius cœlestem ducit ad arcam,
Ne pereat scelerum sordibus aura Dei.
Sæpe pijs tribuit longæve tempora lucis,
Ut sancto præsent utilitate gregi.
Mirari non rimari mysteria fas est:
Multa Deus, quæ vult nos latuisse, facit.
Te quia STOCMANNVM sequitur tranquilla senectus,
Id proprio fieri Numine, crede, Dei.
Scilicet ut miseris operâ succurrere discas
Erudiens rerum cognitione pios.
Res tua (vera fides) finem torquetur ad illum,
Causa boni vitæ portus & ortus erit.
CANVES, ac rerum MONSTRAS virtutibus VSVM,
Arte PIIS prodes, subsidioq; iuvas.
Non calor immutat commissa negotia Solis,
Impediunt mentem frigora nulla tuam.
Fidus agis: fidus fato veniente recedes
E terrâ ad cœlos plenus amore Dei.

XLIII.

MARCVS HASSEVS PRO-
FESSOR HEBRAICVS.

Anagramma

Hebe profers rosas sacras? hîc
sum usu.

NON

Non ita letitiae flammis Iunonia sensit,
Quum fuit à poelis officiosa Iovi;
Non sic Dardanius, non sic letatus Vlysses,
Pectore quum forti vicit uterq; malum:
Quanta chorus Charitum presenti gaudia seculo
Colligit, ingenuæ dum calet artis amor.
Ut Deus à brutis hominem ratione diremit,
Qui celebret verâ religionem Deum:
Sic dedit & radios discendis artibus aptos,
Subsidio quarum crescat in orbe fides.
Quis vigor imperij veteris, quæ cura salutis,
Naturæ tenebras si sequeremur, erit?
Vult Deus agnosci, vult crescere semina verbi,
Diversos hominum gaudet & esse status.
Hæc non posthabitis contingunt artibus, arte
Floret honos Superum, permanet ordo rei.
Ah utinam luxu vernans non perderet ævum
Desidiam vitæ prona iuventa sequi.
Hoc sensi nocuisse magis, quam tela malorum,
Ignavi Satanae dedita corda gerunt.
Dum licet, & teneri florescit temporis ætas,
Disce aliquid, transit non reditura dies.
Ante pedes artis collucet semita nobis,
Fons quoq; linguarum pullulat ante pedes.
Talibus aucta bonis testis Germanidos ora,
Varniadum Musis littora grata probant.
Hic elementa vigent, sparguntur semina lingue,
Grammata quæis titulum docta Minerva dedit.
Schm

Schismata solvendi rerum, vocesq; perita
 Ornandi juvenum corda, Magistra, polit.
 Utraq; linguarum cupienti testis patefcunt,
 sive latina loqui, sive pelasga velit.
 Quid loquar Isacidum linguam sermone fluentem,
 Qui proprio voces rupit ab ore Deus?
 Hujus aquas puras nitido de fonte bibisti
 Flos HASSEE vicens, Sicelidumq; decus.
 Condecorat Linguae divina professio mentem,
 Officij ad laudes te quoq; fervor agit.
 Ingenijq; ROSAS PROFERS pietate SACRATAS,
 Utilitas quarum docta per ora volat.
 Imbuis HIC VSV mentes, rerumq; colores
 Elicis ex succu, quem ROSA sacra refert.
 Nectare crateras Superum Iunonia complet:
 Nectare tu fidei poela referta geris.
 Ut ROSA: sic memori vivus florebis in orbe
 Extremum virtus effugit una rogam.

XLIV.

IOANNES POSSELIUS.

Anagramma.

Sapiens os seni: Luo.

Gramina discusso producit frigore tellus,
 Ver viridi tristes flore colorat agros.
 Dulcisonum volucres modulantur carmen, hirundo
 Arborea luteum sub trabe figit opus.

Sollicita-

Sollicitatur humus ferro, volat equore puppis,
Ferrens est, veris quem nihil aura movet.
Non mihi circumstant gelidum præcordia ferrum,
Rebus enim letis leta Thalia favet.
Egressus portis pelagi per littora tendo,
Navita quò remos in statione locat.
Virginis hic species, sed corpore grandis & ore,
Luminibus venit conspicienda meis.
Invidiæ monstrum veteres dixere poetæ,
Fata quod invideat prosperiora bonis.
Interea tales effudit ab ore querelas:
Semper in auctorem noxia culpa redit.
Sæpius invidiæ, dixi, stimulata furore,
Exitium vitæ sentiat ille suæ.
Corporis ac animi bona devoret ignis & unda,
Languet insidijs fama notata viri.
Credula virtutis specie mendacia finxi,
Ut probitas fieret fabula nota gregi.
OS SAPIENS SENIBVS tribuit natura peritis:
Invidiæ nequeunt tela nocere bonis.
Criminis experti nequicquam crimen inuro,
Invidiæ pœnas crimine plena **LVO**.
Crimine plena **LVO** pœnas, virtutis & artis
Tela meum quatiunt fine carente caput.
Non capit OS SAPIENS fidei mea facta colore,
Qui probus invidiam ferre scit, ille sapit.
Dixit, & equoreis nigrum caput abdidit undis,
Exitio pœnas conveniente luit.

Gloria

Gloria POSSELI lingue victura Pelasge,
Conueniens verè nominis omen habes.
Nil adeò felix, & ab omni parte beatum,
Invidus intactum quod sinat esse Satan.
Invidiæ fraudes nunquam te fulmine ad umbras
Detrudent: sequitur candida fama bonos.
OS SAPIENS superat Satanae mundiq; furorem,
Laurus ut, innocui causa probata viret.
Te decorat Grajo sapientia tincta lepore,
Os sapientis habes, diceris arte SENEX.
Argolico madeant Academica tecta liquore
Te duce, nil fremitu commoveare Stygis.
Arte SENEX senium victuro nomine vitæ
Sustineas: fructus docta senectæ dabit.

XLV.

MARTINVS BRASCHIVS.

Anagramma

Sum Charis; Subintra.

Est locus arboreus viridanti cinctus amictu,
Varnus ubi repetit curva per arua mare.
Emicat ad Balthen Phœbæi syderis instar,
Si videas, referes Numen inesse loco.
Arboræ nullo marcescunt frigore frondes,
Aureaq; in Lauri germine gemma tumet.

H

Letitia

Letitiæ tenuis resonat concentibus aër,
Non secus ac tremulam tangat Apollo chelin.
Hic ego dum gradior curas exosus inanes,
Occurrunt oculis Numina trina meis.
Consertis ibant manibus, gemmâq; micantes
Ordine cingebant laurea ferta comas.
Lucidior radiis Phoebi rutilabat amictus,
Certabant astris lucida membra poli.
Hinc Charitum turbam veteres dixere poëtae
Sordibus impuris Numina casta carent.
Fallor, an Aoniâ lauro decoratus & auro
BRASCHIVS, in medio, non ego fallor, erat.
Cui tribuit laurum mellita poemata pangens,
Ac Clarius miscens melle MELISSVS aquas.
Arboreos Charitum prætervolitare penates
Conantem revocat vocibus hisce Dea.
Quò properas demens? non te tua fata morantur?
Mollia Pegaseo labra liquore riga.
Blandum iter, ad teneram cursus formare Minervam,
Blandius ast præbet sacra poësis iter.
Carmina cultores Diis immortalibus æquant,
Carminis è coelo vis operata venit,
Semina virtutum scrutatur, amabile morum
Lumen in humano corde micare facit.
Dotibus eloqij mixtâ gravitate coronat
Perpetuâ Reges laude, virumq; decus.
Carmina quem celebrant, nullo delebitur ævo,
Cætera quum pereant, carmina morte carent.

Aspice

Aspice vatiloqui dubitans mysteria BRASCHI,
Cujus honorificum nomen in omen abit.
SVM CHARIS: exosus vitiorum tela SVBINTRA;
Non decet impuras vatibus esse manus.
Sunt Charites castæ, vatum sint pectora casta,
Christicole casti carmina casta canant.
ES CHARIS: et Charitum castus divina SVBINTRA;
Culmina; BRASCHIADÆ vivida stella domus.
Tale facis carmen verborum lumine, quale
Cudit Apollineâ Martius arte Maro.
Tersaq; condecorat doctam facundia linguam,
Vox Ciceronæâ verba colorat acu.
ES CHARIS ingenio, virtutum tecta SVBINTRA,
Perpetuum mundo stas sine morte decus.

XLVI.

NICOLAUS VVILLEBRANDVS.

Anagramma.

Vsu diurno bella inclusa.

Diversos diversa juvant: sua quemq; voluptas
Naturæ vetito sæpe calore trahit.
Impia sanguinei subeunt qui prælia Martis,
Innocuas mentes qui feritate premunt;
Hos enixa parens Erebi, dedit ubera Pluto,
Ac vitium præter, nil probitatis habent.

H 2

Hos

Hos cruciet, gemitu nec commoveatur eorum,
Nunquam durities interitura Stygis.
Doctos docta juvant doctarum praelia rerum,
Efficiunt doctos praelia docta viros.
Impietas Murtis gladijs ac sanguine gaudet,
Et nisi tota gemat terra cruore, furit.
Pallas at ingenij sine vulnere bella requirit,
Artis bella movet, sanguinolenta vetat.
Ense carent artes: Pallas non utitur hastâ,
Qui polit ingenij spicula, miles erit.
Miles in Aonidum cupiens certare palæstrâ,
Hec ferat arma manu, victor ut esse queat.
Principio tenero corpus circumdet amictu,
Grammata cui titulos imposuere Sophi.
Ingeniosa tegat vestes lorica fluentes,
Multiplici niteat cognitione rei.
Dextra laboratum Logices circumferat ensen,
Quo fraudes abigat caute Sophista tuas.
Vsis attritum clypeum gerat arte sinistra,
Vsus honorificas protulit artis opes.
Vsu tela nitent: animum corroborat usus,
Solutus est ingenium qui fovet, usus erit.
Larga Dei bonitas vires in pectora mittat,
Numinis auxilio qui caret, arte perit.
Convenient docti de religione loquentes,
Eliciant puræ semina pura rei.
Ingenuas artes dedit experientia rerum,
Per varios usus floruit artis honos.

Profliant

Profiliunt VSV doctissima BELLA DIVRNO,
 BELLA INCLUSA virens continet artis ager.
 BELLA nisi moveant Sophiæ pro laude periti,
 Cæca per Aönidum duceret arua via.
 VVILLEBRANDE decus morum Sophiæq; columna,
 BELLANDO abstrusas eruis artis opes.
 Notitias rerum certas edisseris VSV,
 Ingeniosa seris BELLA timore Dei.
 Dij tibi dent annos: VSV prodesse DIVRNO,
 Et potes ingenij reddere dona tui.

XLVII.

IOANNES SIMONIUS.

Anagramma

Ini, es mons Aonius.

Mens mea jam dudum Phœbi stimulata calore
 Frondea Parnassi gaudet adire iuga.
 Hic iuvat ingenij tutas exquirere dotes,
 Annorum series, quas abolere nequit.
 Hic iuvat & causas rerum didicisse latentes,
 Hic calamo memori facta notare virum.
 Ah valeat, rutilum Musis qui comparat aurum,
 Huic terat immitis venus & unda caput.
 Præda vetustatis fiunt, sortisq; futuræ,
 Ac bona, mors tenebris, quæ nituere, tegit.

H :

Divi-

Divitias rapiunt hostes, consumit & ignis,
Divitias tumidis Naufragus abdit aquis.
Queritis incertos fortune pectora casus,
Cordis opes vitæ vim melioris habent.
Non ego prætulerim Saturni secula Musis,
Aurea non gemmas quas dat arena Tagi:
Dulcia non Veneris: læti vineta Timoli
Castalidum cedant fertilitate choro.
Sed non antè datur Musarum dotibus uti,
Quam quis Gorgonei viserit arva jugi.
Hic sacra jucundo frondescit germine Laurus,
Quæ recreans sensum plena liquore tumet:
Quam gravis ascensu mons est qui vertice coelum
Lambit, & ignavos retrahit inde pedes:
Tàm gravis intuitu Laurus Phœbea resulget,
Desidis hanc vitæ carpere cura nequit.
Pervia stat casto virtutis amore calenti,
Gloria virtutem, corpus ut umbra, petit.
Hæc semel ornatus, Sophiæ Phœbiq; sacerdos
Aonidum plenus laude subintrat agros.
Aspice, parva quibus rerum fortuna relicta est,
Ut surgant humili laudis honore loco.
Aspice, quos astris genuit Natura beatis,
Ut famâ celebres candidiore micent.
Felix, Aonio qui proluit ora liquore,
Et variâ rerum cognitione scatet!
Carmina SIMONIVM venturis laudibus addunt
Qui MONS AONIVS jure vocandus erit.

ES MONS AONIVS NISI, *verum profero nomen,*

Dum canis Aonio carmina digna choro.

Concinis Heroo generosos carmine Reges,

Ac elegis Charitum gratia blanda favet.

Carmina non ulli veniunt ingrata legenti,

Sive rudis versus, sive peritus erit.

Dum viret AONIVS viridi MONS cinctus oliva,

Florida SIMONIVM fama sub astra vehet.

XLVIII.

IOANNES HOLDSTENIVS.

Anagramma.

Sanus Dei honos lenit.

Non tot odoratas tellus producit aristas,
Actio quot curas ingeniosa fovet.

Efficit haec, canis aetas ut candeat annis,

Efficit, ut tingat pallida ruga genas.

Hic vocat electos Domini pietatis in agrum,

Curarum fieri quod sine mole nequit.

Iure regunt alij populos, & legibus urbes,

Officij alios publica cura movet.

Illum Sisyphios decet exanclare labores,

Pervigil officij qui juga ferre velit.

Fallere, mentiri, segnem traducere vitam,

Hoc erit horrendo crimine habere manus.

H 4

Coelico

Cœlica si veteri dispargis dogmata sensu,
Fidus agas, vitium jure silente viget.
Pública si fidei virtute negotia tractas,
Fidus agas, fidos actio fida decet.
Sive virescentem doctâ regis arte juventam,
Fidus agas, fidos templa scholæq; probant.
Sic tua, dum patitur decurrere stamina vitæ,
Capta secundabit prosperitate Deus.
Sic populi licitum tibi conciliabis honorem,
Cordis enim curas LENIT honestus HONOS.
Induit officij laudes HOLSTENIVS æquas,
Impositum vigili mente volutat onus.
Anteferens proprijs commissa negotia rebus,
Alterius causas firmat, adauget, agit.
Ore fidem calamoq; notat: nec docta Lycea
Muneris ardorem dissimulare queunt.
Ardua SANVS HONOS curarum pondera LENIT,
SANVS HONOS operis merx operosa manet.
SANVS HONOS fidei, cœli quâ Numen honorat,
Corda salutifero LENIT honore viri.
SANVS HONOS vigeat, senium virtutibus ornct,
SANVS HONOS sano flagret amore Dei.

XLIX.

EILHARDVS LVBINVS.

Anagramma

Duris laus Lubine.

Heid.

Heu mihi quam multi secuta per oia vitam
Tempora fallentes non reditura terunt.
Pars cyathis inbiant, veneris pars oscula carpunt,
Pars quid agat, nescit, res sua cuiq; placet,
Stultus hic est artes qui cum potuisset amare,
Otia maluerit desideriamq; sequi.
Vidi ego praeterita lugentes tempora vitae,
At quae rara datur, sera querela venit.
Obstandum vitij, animus dum floret & aetas,
Tincta rubro semper testa colore rubet.
Vtilibus teneras studijs adjungere mentes
Et iuuat, & profert utilitatis opes.
Hec faciunt Domini laudes splendescere mundo,
Hec decorant usu moenia, templa, forum.
Hec juvenilis alunt animi vitæq; vigorem,
Hec animo pariunt gaudia vera senis.
Hec res virtutum gemmis ornare secundas,
Hec gravibus curis pharmaca ferre solent.
Hec pelago terræq; sui comitantur amantem,
Seu pede carpat iter, seu torus ossa premat.
Aurea disce sequi Musarum castra juventus,
Dum viret aetatis spes generosa tuae.
Mollia lucrifico nec detrahe colla labori,
Ardua Castalidum semita monstrat aquas.
Audendum est animis, labor impiger omnia vincit,
Rebus & è DVRRIS LAVS generosa venit.
Qui sublime nihil curans teterrima ducit
Ocia, cordata nihil probitatis habet.

Impulit

Impulit artis amor rigidos perferre labores,
Teq; virescentem Musa, LVBINE, facit.
Pallas in Aonidum sublimia pectora fonte
Lavit, & ingenij flumina larga dedit.
Tullius eloquij vires concessit, Homerus
Plectra Pelasga, tibi plectra latina Maro.
Colligis instar apis fibras laxante Camœnâ
Mellea melliti propria mella viri.
Vita brevis: longa est ars: experientia dura,
Dura subis, DVRIS gloria rebus adest.
Continuo rerum prudentia surgit ab usu,
Non renuis rerum subdere colla iugo.
Dura LVBINE subis, quid aget maturior ætas?
Profilit è DVRIS LAVS, honor, artis opes.
In mare dum Varnus sinuoso littore curret,
Florebunt genij vivida facta tui.

L.

Magistri Ecclesie.

IOANNES CHRISOLITHVS
RVTENSIS.

Anagramma.

Re solius Christi thus es in anno.

Arboribus redeunt vernali sydere frondes,
Annua fecundus semina reddit ager.

Dogma-

Dōgmata proventu credis divina carere?
Mortali majus semine Numen habent.
Ipse Deus teneras maturo tempore vites
Erigit, & verbi ritè liquore rigat.
Nepes destituat, Solisq; calore perusta
Langueat, ad fructus utilitate ferat.
Non metuunt, seu ventus agat discrimine terras,
Grandine seu cœlum, fulgure sive tonet.
Et quamcunq; lucem lachrymabilis educat annus,
Est vigor, & mollis vitibus aura favet.
Cura Dei tenero custodem præficit horto,
Terreat ut stygias falce minister aves.
Te quoq; CHRISOLITHVM pietatis & artis amantem,
In vincula Dei cura sequenda vocat.
Est (aud falsa cano) florens Ecclesia vitis,
Quam propriâ Christus sevit alitq; manu.
Eruiere hanc imis certant radicibus hostes,
Funditus insidias dissicit aura Dei.
Ut rosa florescit spinis inclusa: malorum
Invidiâ vitis sic quoq; tacta viget.
Suggerit ingenij vires animumq; ministris,
Vtibus ut possint arte præesse, Deus.
His tibi CHRISOLITHO cœlesti rore rigandas
Numine subjecit non renuente Fides.
Fidus es officio, doctrinâ purus & arte,
Officij ardorem templa Deusq; probant.
SOLIVS ES CHRISTI THVS: qui de fece malorum
Duxit ad optatas credula corda domos.

Post

Post varios rerum casus, vitæq; labores,
Grata fatigato cura laborq; datur.
Gratus es, ac fructus gaudes proferre quotannis,
RE SOLIVS eris THVS, odor, aura, Dei.
Christe diuturnam crescenti suffice vitam,
Ut vigeat vitis tincta cruore tuo.

LI.

OSVVALDVVS SLEIDANVS
MAGISTER.

Anagramma.

Deus salvandos regat: sum vilis.

Christus in hoc mundo proprium sibi colligit agmē,
Quod Furias contra servat alitq; Stygis.
Verba Dei multis odium peperere, sagittas
Heretici spargunt in sacra verba Dei.
Sanguinis imminuunt meritum, Christiq; potentes
Decurtant animi futilitate manus.
Celesti spoliant cœlestia Numine verba,
Turpiter his fidei dona subesse negant.
Non ratio, fidei quæ sunt capit, illa taceri,
Quam male rimari, sit rationis opus.
Fallere credentes nescit divina potestas,
Promissisq; subest indubitata fides.
Mens inferre Deo bellum quæ gaudet & iram,
Exitij pœnas, nî resipiscat, habet.

Luce

Luce Deus verbi SALVANDOS erigit artus,
Iuncta fides verbo ducit ad astra poli.
Dogmata spernentes numero removentur ab illo,
Acceptum fidei quem facit aura Deo.
Gratia salvandi sese distendit ad omnes,
Ceu meritum Christi totius orbis erat.
Non Domini bonitas hominem submergit Averno,
Concidit ob proprium crimen in arva Stygis.
Vos, quibus est animus Christi pessundare corpus,
Impietas stygiâ contumulabit humo.
SALVANDOS REGAT aura Dei, Stygijq; repellat
Spicula SALVANDIS insidiosa Lupi.
Cura ministrorum SALVANDOS voce gubernat,
Internas vires suscitât aura Dei.
Dogmata non hominis, profert divina minister,
Credulus hinc Numen sentit adesse sibi,
Est tibi SLEIDANO custodia credita cœli,
SVM VILIS, referas, nî regat ora Deus.
Hoc duce SALVANDOS, & cœlica verba professos
Ad cœlum doceo, quæ sit eunda, viam.
SALVANDOS DEVS arte REGAT vocemq; Mini-
SALVANDOS rabies ne premat ulla Stygis. (Stri,

LII.

PAVLVS PETREVS.

Anagramma
Plura petes usu.

Quas regio segetes, fructus quos proferat arbor,
 Quo riuos Faunus tempore scindat agros,
 Navita quo pelagus diffundat sydere, stellas
 Quot foveat cœlum, providus usus habet.
 Ac quæcunq; sagax tentando protulit usus,
 Cernimus eventus non habuisse malos.
 Usus inexhaustos Superum diffudit honores,
 Impulit hic precibus sollicitare Deum.
 Hic stygias repulit fraudes, scelerisq; nefandi
 Compressit pœnâ conveniente reos.
 Usus & Aonidum tenebris extraxit amorem,
 Palladis intactos fecit adire Lares.
 Ex quibus emergit divina scientia rerum,
 Quâ decorata vigent mœnia, templa, scholæ,
 Artis amor, pietas, virtus operosa PETREVM
 Impulit Aonij visere fontis aquas.
 Eximie succum pietatis & artis adeptus,
 Dum fuit in Musas ingeniosus amor.
 Cœlica discentem Sapiencia fovit in ulnis,
 Cœlestiq; dedit fonte fugare sitim.
 Corda salutiferi pascit dulcedine lactis,
 Est quibus ad fontes currere cura Dei.
 Lacte fluunt voces, lactis doctrina liquore,
 Numine plena Dei labra PETREE geris.
 PLVRA PETES VSV: cœlestis semina verbi
 PLVRA PETES VSV, religione, prece.
 Tu prece Numen adi, studium cole, dogmata sparge,
 Artis & eloquij plurima dona PETES.

Donâ

Dona ferēs ullis non interitura diebus,
Nixus amore Dei cœlica regna PETES.

LIII.

IOACHIMVS VVESTPHALVS
MAGISTER.

Anagramma.

Vt polus micas, i, & ramus
vigeas.

Adde preces, precibus curas compesce molestas,
Hereat ut puro pectore pura fides.

Ne miser errorum scopulis capiāre dolosis,
Transileas Stygij retia structa doli.

Hæresis illectas vocis dulcedine mentes
Exitio secum sub Phlegetonta rapit.

Illa salutis opes sensu torquere maligno
Suadet, & illicitas quærere cordis opes.

Illa docet fraudum credenti ponere casses,
Illa fidem tacito dissimulare gradu.

Fascinat hæretico credentia corda veneno,
Insidijs mentes urit acerba rudes.

Ne totus vetitis erroribus ardeat orbis,
Differit ingenij semina pura Deus.

Custoditq; scholas pietatis & artis amantes,
Efficiunt purâ quæ pietate viros.

Te sacra

Te sacra largifluo IOACHIMVM Numina verbo
Cernimus in puris erudisse scholis.
Emicat ex vultu sapientia pura modesto,
VTq; POLVS pura religione MICAS.
I, quo sana Fides, ratio quo muneris equa
Te vocat, inceptis cœlica cura fauet.
Ut RAMVS VIGEAS populos sincera docendo
Verba, quibus Satanae tela dolosa premas.
Vere viret pressus Boreali frigore RAMVS:
Dotibus ingenij RAMVS, et arte VIGES.
RAMVS ad astra poli virides extendito frondes,
Pura fides semper cum pietate viret.

LIV.

MICHAEL LANGIVS
MAGISTER.

Anagramma

Clam mare legis nisi agit.

Inficit equoreos pelagus putredine pisces,
Fluctibus assiduis nî moveatur aqua.
Ceca mali rabies hominem detrudit in orcum,
Lex nisi pœnarum nuncia signa gerat.
Libera mens pœnis scelerum fervore tumescit,
Terribilis cohibet turpia facta metus.
Cura quibus sancti gregis est commissa, ministros
Adjunctâ Christum Lege sonare decet.

Si vi-

Si videant homines quos devius abstulit error,
Ad vitæ revocent hos melioris iter.
Horrida proponant tremebundæ fulmina legis,
Cognitio sceleris profluit unde mali.
Non secus ut speculo maculas cognoscimus oris:
Sic speculo legis crimina nostra patent.
Lex animos acuit, Superùm lex nunciat iram,
Lex animo sordes deposuisse facit.
Pristina si videant gemitu peccata dolore,
His medicam teneant applicuisse manum.
Lux Evangelij pavida medicamina mentis,
Et sacra divine munera pacis habet.
Immundi moriens mundi pro crimine Christus
Tollere delicti crimina sæva potest.
LANGIVS officij memor, æternæq; salutis,
Erudiens populos CLAM MARE LEGIS AGIT.
Quot mare pervolitant fluctus: infesta malignis
Spicula divine tot MARE LEGIS habet.
CLAM MARE LEGIS AGIT: mentes solatur egenas,
Ne lex perfractas pellat ab ore Dei.
Sic populi vitium LEGIS contundere motu,
Sic Evangelio corda levare decet.

L V.

VALENTINVS STRELENIUS
NOTARIVS DVCIS.

Anagramma

I, usus & jus lucri leniunt res
notandas. I Semper

Semper bella pios, semper furibunda malorum
 Congeries fremitu credula corda premit.
 Namini haud iram, nec publica jura veretur,
 Indomiti vitij more resultat equi.
Ne ferat in præcep̄s homines, Deus arbiter **cul**
 Auxilium miseris ferre paratus adest.
Insidias Satanae divina potentia frangit,
 In caput auctoris noxia causa cadit.
Jura dedit populis vitio contraria vulgi,
 His pia se Christi corda timore tegant.
Invidus invidiæ flammâ vomat orbis **et** orcus,
 Numine protectum ledere nemo potest.
Cognitione Deus decoravit juris **et** equi
STRELENIVM, cœli protegit aura virum.
Fraudis inops cupido pietatis amore calefcit,
 Possidet ingenuas cordis **et** orbis opes.
Corporis inuideant Lemures animæq; salutem,
 Quem sacra defendunt Numina, tutus erit.
Juris **et** auxiliij splendescere Principis aulam
 Luce facit, calamo Principis acta notat.
I, quo cura Ducis, quo te vocat actio juris,
VSVS **et** ingenium pondera dura levat.
LENIAT VSVS opus, RES IVS cœleste NOTAND^{us},
IVS tibi sit LVCRVM, juris **et** VSVS amor.
Fidus agis: fidum cœlestia Numina servant,
 Si tibi Christus adest, quis tuus hostis erit?

LVI.

Mag-

Magistri scholæ particularis numero 6.

PAVLVS TARNOVIVS.

MAGISTER.

Anagramma.

Plura nosti, vitam usu regas.

Prima venenosis irrepit moribus ætas,
Postera curarum mole referta fugit.
Tertia comprimitur senio miserâq; senectâ,
Vita doloris onus, vita laboris opus.
Addecet ingenuas primam coluisse per artes,
Naturæ tenebras pellimus artis ope.
Artis amor juvenes ducit virtutis ad arcem,
Artis honos recreat languida membra senum
Fingere, fraudari, sine pectore fundere verba,
Temporis hoc ævo femina virq; sciunt.
Insidijs humiles fallax circumvenit ætas,
Artis inexpertus sub pede cuiq; jacet.
TARNOVIVM pietas, ac aurea commoda vitæ
Phocidos intacto fovit in amne dia.
Fundamenta locans rerum crescebat in horas
Cognitio, junctâ cum pietate simul.
Divitias Sophiæ postquam congesserat usu,
Tradidit huic virtus sceptrâ regenda scholæ.
Labra juventutis Clario perfundere novit
Fonte, nec officio fervida cura riget.

I 2

Docte

Docte vir artis habes bona, NOSTI PLVRA *juventæ,*
PLVRA petes, VSV si modo corda REGAS.
Arte REGAS VITAM, mentem corroborat VSVS,
Arte *juventutis* cor *juvenile* REGAS.
Gratia te Superum ditabit, gloria Varni
Tollet honorifico nomen honore tuum.

L VII.
STATIVS OLT HOFIVS.

Anagramma.

Lis fuit, stas voto.

L IS FVIT Aonides inter Sophiamq; coorta,
OLT HOFII constans movit utramq; fides.
Aonides perhibent tenero fovisse sub ævo,
Labraq; Pierio laete dedisse viro.
Pallada Palladio cerebrum tinxisse colore,
Ac Genij castas exanimasse faces.
Hec ait; OLT HOFIVS nostri stimuletur amore,
Floreat in nostro flos rubicundus agro.
Ingenij vires studijs ac artibus aptas
Contribui, vigeat sub ditione meâ.
OLT HOFIVM edidimus vitæ sub luminis auras,
Iuris erit nostri, turba novena refert.
Conceptam placidus litem dirimebat Apollo,
Participem voti reddit utramq; sui.

OLT-

OLTHCFIVM Musis proprium Sophiæq; dicavit:

Aonij frondes verticis arte regat.

Luxuriant animi juvenum juvenilibus annis,

Et nisi, degeneres, arte regantur, erunt.

Vt crescente ævo rerum sapientia crescat,

Instituatur rerum cognitione rudes.

LIS FVIT, & VOTO concors STETIT utraq; Musas

Et Sophiæ virides vir redamabat agros.

Gloria Castalidum, Sophiæ mel amabile STATI,

Moribus & studijs imbue membra Scholæ.

STAS VOTO: te Pallas amat, te Numina Phœbi,

Officij sceptrum curia, templa probant,

LVIII.

IANVS FORSTERVS.

Anagramma

Rus artis fovens.

Vere sinum tellus aperit, Borealia cessant
Frigora, Sol tepidis rura peragrat equis.

Vere novo viridi decorantur gramine rura,

Rura fovent violas, Lilia rura fovent.

Munera rure virent Cereris Bacchiq; liquores,

Dives & Irus incops commoda ruris habent.

Rus quoq; doctisonæ quod semina proferat artis,

Irrorant tepido Numina rore scholas.

Hic segetes crescunt, totus quibus indiget orbis,
Hæc propriâ Christus conferit arva manu.
Verba Dei tenebris & regna furore premuntur,
Artis ubi languent semina grata Deo.
Discite, qui vano juvenilia tempora luxu
Perditis, eventus languida vita caret.
Flectite vela citi, sunt otia & alea Syrtes,
Per mare tranquillum vos trahat artis amor.
Mentibus exemplum teneris FORSTERE ministras,
Artis ad optatum te vocat aura locum.
Corda tenella FOVENS ARTIS dulcedine pascis,
RVS ARTIS propriâ diceres arte FOVENS.
Te duce flos juvenum pietatis & artis amorem
Imbibit, ingenij floreat iste vigor.

LIX.

PETRVS GRONEBERGIVS
MAGISTER.

Anagramma.

In re Ramus probus tegit greges.

Errat proa mari fido spoliata magistro,
Flagitio languet fama vigente Dei.
Vnde magistratum populis præfecit & urbi,
Arte Magistrorum pectora tincta scholis.

Horus

Horum segnitie vitij crudelia prebet
 Pabula, flos scelerum jure rigente viret.
 Indulgere malis, lactare libidine sensus,
 Exitio merfit regna domosq; gravi.
 Parcere morigeris, & castigare rebelles,
 Crescere successu regna scholasq; facit.
RAMVS IN arte **PROBVS** pigros **GRONEBERGIVS**
 Ore **GREGES**, pœnâ conveniente movet.
 Arte regit, quorum virtutis & artis amore
 Corda calent, vitæ conscius ore **TEGIT**.
 Pœnarum asperitas studijs avertere mentes,
 Congrua mollities exstimulare solet.
RAMVS IN arte **PROBVS** medio florescit in horto,
 Ducit ad Aœnidum corda tenella rosas.
RAME, juventutis crescentes erige frondes,
RAMVS eris vitâ non pereunte Deo.

L X.

IOACHIMVS BAVRMEISTERVS

Anagramma

Vicisti remoras, habe usum,

Quid tibi desidia non cessas sumere vultum,
 Ocia quid vitæ pigra, juventa, colis?
 More sagittarum volat irrevocabile tempus,
 Nec quæ spreta semel præterit, hora redit.

Felix

Felix, qui fruitur fugitivis vere juvente,
At sua qui noscat commoda, rarus adest.
Injiciunt studijs remoras juvenilibus, ignis
Illicitus, Bacchi poela, barathra gula.
Oia debilitant sensus, Venerisq; calores,
Res est ingenijs perniciofa merum.
VICISTI REMORAS studium IOACHIME morantes,
Dum vacuos curis non finis ire dies.
Contritos solidis juveniles artibus annos
Ac VSVM veræ religionis HABES.
VICISTI REMORAS virtutis & artis amore,
VSVM perpetuæ laudis & artis HABE.
Leta juvenutis REMORAS ne sentiat ætas,
Instituis mentes cognitione rei.
VICISTI REMORAS studiorum: tela Draconis
Imminues, Christo fido, victor eris.

LXI.

ANDREAS PIEL.

Anagramma.

Res Dei plana.

Relligio tenebris quondam submersa jacebat,
Stabat & oranti curia Clausa reo.
Cœlica fictitio recolebat Numina cultu,
Artis in obscuro delituitq; vigor.

Cultior

Cultior elicuit pulsus erroribus ætas
 Artis & immotæ religionis opes.
 Omnia nunc veteri florent decorata vigore,
 Verba Dei Phœbo candidiora micant.
 Aonidum niveis revirescunt floribus horti,
 Enitet artis honos, æstuat artis amor.
 RES est PLANA DEI: pietas, Astræa, Minerva,
 PLANA Fides, ritu Musica PLANA viget.
 Musica grata Deo, moderatrix vocis, amica
 Lætitiæ, peragrat mœnia, templa, scholas.
 PLANA, SAGITTARI, sunt omnia: plena bonorum
 Secla vigent, artis plenus honore vires.
 RES est PLANA DEI: PLANA pietate vel arte
 Corda juventutis constabilire decet.
 RES est PLANA DEI, si dogmata sani ministri,
 Si schola virtutum semina PLANA serat.

LXII.

IOANNES STURMIVS.

Anagramma.

Insons Musa viret.

Cernis ut insontes Phlegetontia spicula Musas,
 Cernis ut invidiæ seva procella premat?
 Surge Deus, ser opem, stygiosq; repelle furores,
 Et foveas alis templa scholasq; tuis.

Vt tua

Vt tua laus omni quærat in ordine, mentes
Artibus incumbant, & tua verba colant.
Ne, velut avulsus furibundo surculus Austro,
Languet, & fructum vinea sancta neget.
INSONS MVSA VIRET, Furijs compressa triumphat,
Improba res licitas tollere cura nequit.
Cultoresq; sui titulo virtutis & artis
Ornatos secum docta per ora vehit.
STVRMIVS è cerebro, Genij bonitate, Minerva
Natus, inexhaustas possidet artis opes.
Rimatur vigili Sophiae mysteria nisu,
Ingenij dotes eruit, artis opus.
Qui volet abstrusas Sophiae penetrare recessus,
STVRMIVS hos aperit, perspicuosq; facit.
INSONS MVSA VIRET: nullo debilis ævo
STVRMIVS æterno laudis honore VIRET.

LXIII.

NICOLAUS PETREVS
MAGISTER.

Anagramma.

Per te laus sim victor agens.


Rumpere livor iners, fremat invidiosa voluptas,
Navigat optato tuta carina mari.
Sancta virum pietas, & mundo conscia virtus,
Excidij tristem nescit habere diem.

Hectora

Hectora Martis amor decorat, laus artis Homerum,
Scipiades virtus intemerata vehit.
Terra tot excolitur titulis, tot clara triumphis
Emicat, Aonidum mala quot hortus habet.
Debita fama viget rigo ceu laurus in agro,
Rumpere livor iners, debita fama viget.
Qui dubias comitantur opes telluris & unda,
Sortis divitias depereuntis amant.
Te vite melioris iter, te fama PETREVM
Vivida, virtutis iussit adire viam.
Sortis opes superat virtus, prudentia mundum,
Servat honestatem, justitiamq; Deus.
Quod pietatis amor, quod laudis & artis honestas
Pescit, inhonestam nil ratione facis.
Sic Ciceronis acu, seu texas verba Maronis,
Est sine labe fides, est sine labe pudor.
Ipsa tibi virtus laus est, sibi premia reddit,
PER TE VICTOR AGENS, Fama, PETREVS
Invidia tumido nil commoveare furore, Cerit.
Victorem faciet vita probata virum.
PER TE VICTOR AGENS SIM LAVS: nil fulmina
Curo, Dei fultus robore VICTOR ero. (mundi
Rumpere livor iners, virtus operosa PETREI
Floret, & artis honos, rumpere livor iners.
Longa dies solidos lapides consumit & aurum
Longa dies tritam singula fauce vorat.
Majus opus virtus, abolet quam nulla vetustas,
Libera ab invidia quae manet una iugo.

Hactenus

Haecens: haec Zephyro dedimus: nunc contrahere vela
 Musa, satur portum. Nauta laboris amat.
 Ver redit, & viridi vestitur gramine tellus,
 Commoda me leti veris habere juvat.
 Quatuor expleram juvenili lustra calore,
 Consciis annorum tres quibus addo vices;
 Carmina quum cecini meritas celebrantia laudes,
 Quod sumus, auxilio Numinis, omne sumus.
 Carminebus cantata meis, praecleara virorum
 Gloria, victurae munera laudis adi.
 Dicat a lulandi rabie mea carmina Momus
 In laudes nimium luxuriasse virum.
 Qui sapit, amentem dicat, non artis amantem,
 Qui mea rodit, iners nec meliora facit.
 Murmura nil hominum, Satanae nil tela timebo,
 Dummodo complexu me tegat aura Dei.



*Index eorum, quae hic
 continentur.*

1. VDA Lricus Dux Megapolitanus.
2. Christianus Rex Daniae.
3. Vdalricus Regis Daniae Germanus.
4. VVilhelmus Princeps in Livonia.
5. Henricus Ranzovius.

Nobiles

*Nobiles & Principis Megapolitani
Consiliarij 4.*

6. Ioannes Crammonius.
7. Georgius Rave.
8. Theodoricus Bevernestius.
9. Theodorus Moltcanius.

Doctores Theologiae.

10. Davides Chytræus.
11. Lucas Backmeisterus.
12. Ioannes Frederus.
13. Valentinus Schachtius.
14. Davides Lobechius.

Doctores Iuris.

15. Marcus Luscovius.
16. Ioannes Albinus.
17. Bartolomeus Clingius.
18. Iacobus Bordingus.
19. Henricus Camerarius.
20. Ernestus Cothman.
21. Christophorus Sturtius.
22. Hajo A Nessa.
23. Georgius Roselerus.
24. Iohannes Bonsow.

Bartolo-

24. Bartolomeus Kichler.
25. Martinus Chemnitius.
26. Henricus A Bergen.
27. Martinus Nordanus.
28. Henricus Stalmeisterus.
29. Levinus Battus.
30. Erasmus Reutcius.
31. Iacobus Heine, hîc inseritur Fredericus Heinius Consul Roltochiensis.
32. Iohannes Ortgiseus.
33. Iohannes Gryphius.
34. Hermannus Wilms.
35. Elias Perottus.
36. Ioachimus Reimarus.

Doctores Medicinæ.

37. Wilielmus Laurenbergius.
38. Iohannes Backmeisterus.
39. Henricus Pauli.
40. Christophorus Heiniochus.

*Doctores & Magistri Philosophiæ
Professores.*

41. D. Magnus Pegelius.
42. Erasmus Stockmannus.
43. Marcus Hasseus.

Iohan-



- 44. Iohannes Posselius.
- 45. Martinus Braschius.
- 46. Nicolaus Willebrandus.
- 47. Iohannes Simonius.
- 48. Iohannes Holdstenius.
- 49. Eilhardus Lubinus.

Magistri Ecclesie numero 5.

- 50. Iohannes Chrisolithus.
- 51. Osuualdus Sleidanus.
- 52. Paulus Petreus.
- 53. Ioachimus Westphalus.
- 54. Michael Langius.
- 55. Valentinus Strelenius notarius Ducis.

*Magistri scholae Particularis
numero 6.*

- 56. Paulus Tarnovius.
- 57. Statius Olthofius.
- 58. Iohannes Forsterus.
- 59. Petrus Gronebergius.
- 60. Ioachimus Baurmeisterus.
- 61. Andreas Piel.
- 62. Iohannes Sturmius.
- 63. Nicolaus Petreus.

Styx fremat & mundus, Spes mea Christus eris.

Erra-

Errata sic corrigito.

B 1. b. vers. 9. lege, Pindarijs. B 4. a. versu 9.
Astrææ. C 2. a. vers. 10. decet. C 4. a. vers. 8. cadit.
C 7. a. vers. 9. Lyceæ. C 8. b. linea 2. doce antistes.
D 1. b. vers. 18. cœlum. D 7. a. vers. 16. pereant. D 8.
b. vers. 21. præponit, ac ibidem versu 25 quod. F 1.
b. vers. 20. tentans. F 2. a. vers. 6. ver'ice. F. 7. b.
vers. 20. quisquis. H 1. b. versu 25. eloquij.

ULB Halle

3

002 629 992



(F)

SS

OL

AB 15 44 07

VD 77



ANAGRAMMATA
PRINCIPIS
MEGAPOLITANI,
REGIS DANIAE, ET
DUCUM QUORUNDAM,
DOCTORUM, MAGISTRORUM-
QUE ACADEMIÆ ROSARVM
DESCRIPTIONEM CON-
TINENTIA.
Auctore
Johanne Melino Niggenjesekeuse
VVestEp.

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri. 96.

Nenya

